Digitized by Google

6
13-A
11

6
12 L

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

n
907

Digitized by Google

6-11-a-10

13.5.5.

21
a
32

~~11-a-29~~

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MAGNVS TILLIVS REDIVIVVS

Sive

M. TILLIJ PARENTALIA.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

MONACHIJ,
Typis SEBASTIANI RAUCH. Anno M. DC. LXXVIII.

Digitized by Google

Syllabus ſive Explicatio Fori Europæi.

a. BOiariæ *lugubris acceſſus ad Parentalia Tilliana.*
b. Martis *fletus.*
c. Auſtriæ *compaſſio.*
d. Galliæ *officium humanitatis, Lilia ſpargentis.*
e. Roma *mœſta.*
f. Alemanniæ *Planctus.*
g. Belgij *Luctus.*
h. Hungaria *afflicta.*
i. Tillius *redivivus.*

Fundamenta Belli ſtruxit

k. Tillius *in Bello Belgico & Batavico primò meruit, magno generoſi animi præſagio.*
l. *Sub* Lotharingo Duce Carolo *Arcuenſe ad* Sequanæ *oſtia prælium.*
m. Juriacum *in* Neuſtria *Prælium.*
n. *Sub* Duce Guiſio *ad* Alnetum *& citeriorem* Ligeris *ripam, Hugonoti ingenti Clade à Regijs deleti & ad Montis* Belicardi *agrum uſque fugati.*
o. *Ducis* Bavariæ Erneſti *Archiepiſcopi & Electoris Colonienſis contra* Gebhardum *Acatholicum, & exauctoratum, defenſio.*
p. Antuerpiæ *Expugnatio.*

Victorias exſtruxit

q. *Religione &*
r. *Armis.*
ſ. *Clades & fuga Turcarum ad* Albam regalem.
t. Victoria Pragenſis, *celebranda. Anno 1620.*
u. Mansfeldij *Exitium prope Weingarten.*
x. *Victoria illa de Marchione* Durlacenſi, *ad* Wimpham. *Anno 1622. celeberrima.*
y. Halberſtadienſis *inſperata edomatio.*
z. Aſchenburgenſe *Caſtrum occupatum.*
aa. *Victoria à* Brunsvvicenſibus *prope* Höchſt *conſtanter relata. Anno 1622.*
bb. *Victoria* Statlonenſis *contra Ducem Chriſtianum Brunsvvicenſem in Monaſterienſi Epiſcopatu. Anno 1623. erepta.*
cc. Haſſiæ *Landgraviatûs recuperatio.*
dd. Kalenbergenſis *Prælij contra Danos victoria*
ee. *Victoria prope* Luther *in Weſtphalia, memoranda.*
ff. *Ducatûs* Holſatiæ *occupatio.*
gg. *Epiſ.* Bremenſis *recuperatio.*
hh. Stadenſis Epiſ. *ſubmiſſio.*
ii. Halenſis *Diœceſis in Saxonia reſtitutio.*
kk. Osnabrugenſis Epiſ. *deditio.*
ll. Göttingenſis *Civitatis ſupplicium.*
mm. Haidelbergenſem *Palatinatum ad Rhenum Anno 1622. devotat.*
nn. Monhaimenſis *celebris obſidio.*
oo. Wolffenbüttliana *obſidio memorabilis.*
pp. Mündenſis Epiſ.
qq. Nienburgenſis.
rr. Magdeburgenſis, & Verdenſis *juſta punitio.*

Curſum Triumphorum conſummavit

ſſ. *Prope* Rain *ad Lycum* Tillius *vulneratus.*
tt. *Sub obſidione* Ingolſtadienſi, *devictis hoſtibus, exſpiravit.*

Statuæ præcipuorum Commilitonum.

1. ALexander Farneſius *Parmæ & Placentiæ Dux, Belgij Gubernator; hujus Tyro belli* Tillius laudatur.
2. Mauritius Naſſovius *Orangij Princeps, Batavorum Gen. cujus belli Tiro* Guſtavus Adolphus *Rex Sueciæ.*
3. *Comes* Buquojus, *Generalis.*
4. Guſtavus Adolphus, *Rex Sueciæ.*
5. *Comes* Tampier, *Generalis.*
6. Corduba *Hiſp. Generalis.*
7. *Comes de* Pappenhaim, *Generalis.*

DE-

Digitized by Google


EVROPAVM
VIVIT POST FVNERA VIRTVS
MAGNI TILLII PARENTALIA
A. Wolf. d.

Digitized by Google

DEDICATIO
Ad
Illuſtriſsimos ac fortiſsimos Belli
DUCES & HEROES.

HEROIBUS Chriſtianis Heroëm Chriſtianum damus, in quo non profanum Herculem, ſed Joſuen aliquem, aut ævi Chriſtiani Simonem Montfortium contemplentur: Magnum TILLIUM, inquam, omni Marte potiorem, hoſti æquè formidabilem, ac vitiis, quæ ceu hoſtes in ſe profligavit, orbe ac ſæculo noſtro celeberrimus Victor tot hoſtium: quos inter & ſemet habuit, & quidquid deprehendit virtuti inimicum. Tales Semideos pauca ſæcula ferunt: plures arma quàm virtutem peritiùs tractant. At Magnus Chriſtiana bellicáque virtute TILLIUS, neque intus hoſtem tulit, neque foris, quem non amore religionis, divinæ gloriæ ac ſalutis alienæ ſtudio, tantáque contentione perſequeretur, quanta felicitate ſuperavit. Cælebs, cum Epaminonda, pro filiis victorias numeravit, quos illi, armis obſtetricantibus, virtus & pietas peperit. Cúmque in hoſtes omnes animoſus, nulli tergum verteret, ſolam voluptatem fugit, Parthorum more, qui fugiendo vincunt.

Digitized by Google

In acie pius, in templis victor, in deditos mitis, ſibi uni durus, Imperatoris juxtà & militis Chriſtiani partes omnes implevit. Magnum igitur virtutum & annorum gloriâ TILLIUM vobis, HEROIBUS ac DUCIBUS ILLUSTRISSIMIS, dedicatum volo, DUCEM DUCIBUS; ut, ſi quid vobis, HEROES FORTISSIMI, in eo videtur imitatione ac manibus veſtris non indignum, M. TILLIUS, pridem glorioſa morte defunctus, dici poſsit, in veſtris exemplis ac maximis facinoribus vivere ac ſupereſſe.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARENTALIA M. TILLII, cujus glorioſa memoria etiamnum vivit, apud bonos nunquam emoritura, ante annos plùs quàm quadraginta erudito calamo exarata, tandem typo etiam vulgantur, ſerò quidem: ſed ſolidæ laudes, ut generoſa vina, ab ætate & ſenio commendantur. Adulta tot annis gloria M. TILLII, in recentis etiamnum famæ ſenectute floret: de quo feliciùs, quàm de Homeri patria, non jam urbes & regna, ſed virtutes contendunt, in cujus ditionem præcipuè M. TILLIUS pertineat. Hæ quidem conantur Militiæ decora obſcurare, & totum ſibi TILLIUM vindicare: ſed bellica gloria virtutes ipſas in iſta cauſa triumpharet, niſi auxiliaribus virtutum copiis adjutus M. TILLIUS, toties pugnâſſet ac viciſſet. Quis verò quantúsque TILLIUS fuerit, & Orbis & hæc PARENTALIA loquuntur, ad quæ M. TILLII admirator ablegatur: Cujus antiquam ac nobiliſſimam proſapiam, clariſſimóſq; Majores, jam pridem editus liber vulgavit, qui inſcribitur: TUMULUS deliciarum Mundi, Auctore de la Serre Hiſtoriographo Galliæ, editus Bruxellis anno 1630. cujus Dedicatio, ad Illuſtriſſimum D.D. Ioannem Comitem de TILLY de Heſewick & Marbays facta, poſt alia ſic habet:

Illuſtriſſime Domine. Cùm omnes honorum rivi à glorioſa ſcaturigine promanent, ex eodem fonte ſuum decus trahunt, unde originem hauſere. Omnia, inquam, merita, quæ tibi tanto jure tribuuntur, partem ſui ſplendoris amittunt in neceſſaria admiratione generis tui tam excellentis, utpote multis cum coronis viſendi. MAJORES tui ARTUS & THEODORUS Tſerclaës è regio Gothorum ſanguine orti, robur animi tanta cum admiratione adverſùs Attilam exeruere, ut, etſi infauſto armorum ſucceſſu eos habuerit captivos, tunc etiam victorem Regem

in

Digitized by Google

in hac ſua ſervitute in triumphum ducerent. Quæ non officia Carolo Magno poſteri præſtitere? quorum opera tam præſtans æquè ſemper fuit ac memorabilis, quàm præclarum nomen, quod præmij loco ſunt conſecuti, per plures ditiones, quas idem Magnus Monarcha eis in Friſia Orientali donavit: ut eſt Marienhoven, ubi Majores veſtri ſepulti ſunt, aut, ut rectiùs loquar, ubi denuo ſe fecere immortales; dum eandem Toparchiam S. Norberto dono dederunt. Quid non dein fecit præclarus ille *Daniel* I. Eq. Rhodius S. Ludovici Regis caſtra ſecutus? quæ ſtrategemata militaria contra Infideles non molitus eſt in obſidione Carthaginis à Saracenis Anno 1215. occiſus? Hiſtoria ſanè eſt admiratione digniſſima: nec poſſem percenſere fortiſſimas expeditiones *Deſiderij* Equitis Teutonici, qui in medio conflictu cum Stadianis & Praſsenſibus in prima fronte Belgici equitatûs cum *Gerardo* fratre ſuo vitam poſuit, ubi uterque pro feretro lauri truncum habuit, occiſus 1292. Quid dicam de magnanimitate *Evardi* tam celebrati? nemo enim ejus nomẽ ac geſta ignorat, ut qui Ducem Brabantiæ primo ſuo Imperio reſtituit, poſtquam Belgarũ vexillo in oppugnatione potitus eſt. Et quamvis fuerit tunc à civibus Bruxellenſibus adjutus; hæc tamen gloria ejus nomini ſubtrahi non poteſt, quòd ejus ſolius invictum robur hoſtes exarmârit, & eos ipſos præ horrore ac metu fugientes adegerit, famam glorioſam partæ victoriæ, ſuæ cladis nuntios, remotis etiam regionibus inferre. Hinc poſt tam eximium triumphum, Ducis Brabantini conjux nomen ei ſuperaddens, ſuum *Clypeum* vocitabat. Ejuſdem filiolus Joannes IV. Exercitui Brabantino dein Dux præfuit, paternæ fortitudinis heres. Nihil jam dicam de *Conrado*, qui cum Carolo Audace Burgundiæ Duce ad Nanceium urbem cæſus eſt. Sufficiat mihi, Heluetos etiamnum ad ſolum ejus nomen contremiſcere. Minùs dicam aliquid de *Thoma*, etſi ad S. Quentinum in fronte quingentorum equitum occiſo, poſtquam *Fortiſſimi* cognomen obtinuit. Quid dicam de tuo Parente, felicis memoriæ, cujus etiam minora geſta erant laude digna? Quis neſcit, quòd quingentis lancearijs in Lotharingia præfectus in Poloniam ſe contulerit, ubi ſub Stephano II. Rege cum ſumma poteſtate exercitui præfuit; ac poſtea in Hungaria pro Rudolpho Imperatore vigiliarum præfectus ſummus prœlio vicit.

Genealogia Tilliana.

Sed omnia hæc ſidera, etſi multo gloriæ fulgore illuſtria, ſemet occultant coram magno ſole illo, Magno Comite de Tilly, patruo tuo, quando è ſolis palmæ, quas meruit, & lauri coronis,

quas

Digitized by Google

quas reportavit, poſſet Coloſsus Rhodio major effingi, ad orbem univerſum illuſtrandum. Nemo mihi poſthac Alexandros, aut Scipiones aut Pompejos jactet: hi enim tres Duces non niſi Pygmæos vicere; at hic noſter Fortiſſimus Comes, non niſi Gigantes ſubjugavit: & hoc ſeptemdecim juſtis prœlijs, plùs quàm centenis velitationibus, præter infinitos aſſultus, omnes ceu victoriarum præcurſores. Demum velle publicare miros ac prodigio ſimiles eventus, qui fratri veſtro in Europæ theatro, in quo perſonam fortiſſimi, ſapientiſſimi ac omnibus numeris abſoluti ætate ſua Herois egit, accidère, inutile foret; cùm & ipſi æmuli coacti ſint, ejusæquè gloriam paſſim vulgare & admirari. *Hæc de la ſerre.*

Quantus denique Tillius *etiam apud Superos fuerit, multis exemplis cælum docuit, cùm illi quandoque ſuppetias tulit; cùm aciem abſentis inſtruxit* *: *cùm Dei Mater, cui unicè fuit devotus, emiſſum in pectus ejus globum plumbeum non paſſa eſt ultra Carmelitani amuleti, ceu ſcuti, ſuperficiem penetrare. Poſtremò ſatis & abundè laudum eſt*, Tillium *pro æquitate, pro religione, pro meliori ſemper causâ pugnâſſe, ac eosdem cum Deo hoſtes habuiſſe, dùm alij in hoſte Deum invadunt. Præclara* Maximi Herois *facinora ſemper ſecunda fama, & nunc Liber hic totus loquetur, qui in ipſa fronte victorias in imagine oſtendit, & in ſyllabo exponit.*

* Vide Drexelij Horol.

** FA-

FACULTAS.

Quidquid de Virgine, Duce, Heroë, ſtratégo hujus ſæculi, Divinâ providentiâ planè admirabili, &c. Domino Comite Joanne Tillio, &c, præclarum dici aut ſcribi poteſt, jure meritisſimo typis publicari poſse cenſeo: fuit enim (ut alia omnia in ipſo perfectiſſima taceam) columen veritatis, umbraculum fidei Romano-Catholicæ, & tegimen ſolis meridiani, Germaniam ferè univerſam miſerè adurentis: quæ omnia & plura præſens proſo-poëticum Encomiaſticon ſalva ſanctæ fidei & bonorum morum integritate, ſine vitioſo palpo, oratoriè & luculenter oſtendit.

Monachij 31. Martij Anno 1678.

Ita teſtor ego

CASPARUS KIRMAIR
S. T. & J. C. D. Libr. Cenſor.

L. S.

Digitized by Google

ARGVMENTVM
Et
Methodus ſcribendi.

MAGNI TILLII, cujus bellicoſis Manibus parentatum imus, incomparabilis & animoſa virtus, non unum excitabit, opinor, Oratorem ad dicendum: neque unius Hiſtorici diſertam veritatem, aut Poëtæ ſacram ſolicitabit facundiam. Erunt, qui per illius laudes ſonantibus periodis, vividóque eloquentiæ ſpiritu nutriti decurrent: qui facta narrabunt poſteris, fidem vix habituris poſt aliquot ſæcula; niſi unanimi voto conſpirantis hujus ævi canitiem venerarentur. Erunt denique, quorum præcordia ætherius ille afflabit calor & vis, quæ numeris religioſis verendum M. TILLII illigabit encomium. Providerint utique Superi huic Achilli ſuum Home-

A rum,

Digitized by Google

rum, & Aeneæ Maronem ſuum. Nos ſubmiſsiùs in iſta Parentalia ingredimur, neque ea tentaturi; niſi indignationem totius orbis timuiſſemus. Ingolſtadij Heros iſte gladium recondidit, cingulum militare depoſuit, caſtris vitæ mortalis exutus, fatis conceſsit. Ne nos ingrati ſimus omnes, quotquot Ingolſtadij degimus; ſi pro ſalute Patriæ totiúſque Imperij Romani occumbentem, nullo pietatis officio, officiiq; dignitate proſequamur. Quanquam non ignorem, quid hìc obijci poſsit: nempe, ut magnificè de TILLIO ſentiam, indigebo lenociniis tropíſque Rhetorum? Quis ergo reprehendit TILLIUM? res ejus geſtæ quem fugiunt? qualis quantúſque TILLIUS ſit, facta loquuntur, loquitur orbis, loquuntur bella, teſtantur victoriæ, virtus denique diſertè ſatis perorat: meruit M. TILLIUS, ut ſuimet ipſius M. Tillius, in laudando non ſit al-

ter

ter, quàm Honor ipſe. Alii ita dicent: Vulgare jam nimis eſt, tritúmque, laudari, maximè pollinctum: inſignia merita, & in Rempublicam collata beneficia, integriſque impenſa regnis, digniùs æſtimantur; ſi ob magnitudinem ex grati animi reverentia taceantur. habet aliquid ſupplex, ſuámq; indignitatem profeſſum ſilentium, quod in oratione ſuperba, aut tinniente poëſi deſideres. Quis autem M. TILLII facta pro dignitate efferat? vituperantur Heroës, ſi à tepido vate celebrantur: eloquentiæ flumen amant milites, qui ſæpe torrentes transnatârunt; armata virtus ipſa ſibi pretium eſt; verúmque decus, non ad cotem humilium ingeniorum, ſed ad mucrones gladiorum exacuit. Utriſque reſpondeo. Primò M. TILLIUM non futurum celebriorem, ſi laudemus: nos verò ingratiores, ſi taceamus, neque ſolùm laudes ab orato-

ribus emanare, quibus ſufficiunt; verùm etiam illas, quæ omni facundia majores, capacitatem quantivis excedunt ingenij. Deinde, eſto: M. TILLII gloria, quò propiùs ad eam acceſſeris, ſemper major inſtar montis appareat: habet tamen & Poëſis ſuas rupes montésque, & canora ſaxa; à quibus encomium Ducis, exili licèt verſu impactum, ſuſcitat echo. Sic cum fœnore reciprocat ſonum, ſéque latiùs diffundit; ut non ſemel etiam feſtivos claſsici fremitus referre audiatur. Qua ratione inducti non pertimuimus glorioſos M. TILLII manes honorare: ad quorum PARENTALIA more ſolenni peragenda evocavimus Provincias ac Regna, quorum vel bella feliciter geſsit, vel hoſtes fortiter domuit. Erant autem PARENTALIA apud veteres nihil aliud, quàm Convivia in honorem præcipuorum funerum inſtructa. Uſurpatum poſtea nomen

pro

Digitized by Google

pro officio debito, mortuis Heroibus exhibendo; ut idem ſit PARENTARE, quod defunctis PARENTIBUS, vel Patriæ patribus juſta perſolvere. ſic dicimus: PARENTATUM EST ILLI: PARENTALIA FABIO MAXIMO SUNT HABITA. P. ÆMILIJ, CORVINI, CAMILLI PIIS MANIBUS PARENTAVIT S. P. Q. R. ubi & ludi atque ſpectacula ſunt edita. Hîc M. TILLIJ PARENTALIA, ut dixi, ipſa Regna celebrant: quæ veluti Perſonæ os, humeros, habitúmque Divis ſimiles, adeóque majorem mortali ſpeciem referentes, in noſtri luctûs funebri ſpectaculo, ſevera gemendi voluptate fruuntur: doloris enim amoriſque conflictu, ac variorum affectuū tempeſtate regios inundant animos vultúsque, & magnificè plangunt: demum ſingularibus modis atque Cærimoniis Magno Funeri omnem honorem habent. Scribentem, verſu Jambico decebat uti. Sed Heroi maluimus Heroicum offerre: niſi ubi in quinque choros, flagitan-

tibus illis peculiare genus, fluctuans varietate metrum transfudimus; & in medium ſcenæ produximus pedes, magis minúsve amne Pegaſeo lotos, memores luctûs, atque dignitatis in luctu. Ad munus iſtud ab Honore promiſſum editúmque invitati unus aut alter: qui certis temporibus interloquuntur, ſumptáq; occaſione ex Divarum affectibus, atque colloquio, orant M. Tillij laudes, deductas ex pietate, prudentia, religione, caſtitate, ſobria vita, aliiſque virtutibus, bellorum Duci neceſſariis, etſi raris. Subinde contrariorum argumentis permoti, nonnihil de vanitate fluxarum rerum, miróque mortis apparatu, ac vera bene vivendi ratione diſſeruimus, quo canendi ſcribendíque modo ac genio, pleraſque huius Semidei virtutes, quæ quidem orbi innotuêre, commodiùs atque illuſtriùs à nobis exornandas eſſe, arbitrati ſumus, opportunè ſuo loco, vel aſtrictas numeris, vel oratione diffuſas.

Digitized by Google

Digitized by Google



Ipse sui victor, devicit Tillius hostes:
Cui, qui se vicit, non metuendus erat?

Digitized by Google

PARENTALIA
MAGNI TILLII.

ADhuc dolebam ex vulnere Magni Joannis de Tilly, & Imperij Romani miſerebar; quod illius Ducis caſu, cum ingenti terræ motu, cecidiſſe mihi videbatur. Ferrea, dixi, tibiæ pars comminuta eſt: fictilis quomodo ſubſiſtet? firmitate hujus veſtigij turbata, an immotus conſtánsq; in campo durabit exercitus? omnino formidabilis ex tam arduo vulnere ſperanda Reipublicæ concuſſio. Cur autem iſto tempore, quo maximè tortuoſum argutúmque implicati belli ingenium, fortiſſimum militem & ſapientiſſimum Ducem, denique Tillium requirebat? Confugiant licèt alii ad involucra fatorum, & in adamante ſcriptas æternæ neceſſitatis leges; dicántque, inevitabile tormenti fuiſſe plumbum; ita nimirum fata ſtatuiſſe: quorum impetus in hæc tempora illabens prohiberi non potuerit, timeri non debeat. è contrario alii contendant, temerè ac fortè fortunâ, nulliúsque deſtinato imperio in iſtum pedem, qui totos portabat exercitus, miſſilem globum in-

M. Tillij vulnus acceptum, ad Lycum.

incubuiſſe: bello omnia promiſcuè agi, caſúque ferri. Ego, ut utriſque aliquid concedo: ita ab utriſque non parùm diſſentio. non diffiteor, bellorum turbine plurima ſúsque déque ferri, ut vis rabiésque hoſtilis agitaverit. quin tamen omnia Numinis decreta, etiam noſtros tumultus ſapientiſſimè moderantis, immota fixáque permaneant, nullus ambigo. Nego igitur abſque provida æternæ mentis cura MAGNUM TILLIUM ſui vulneris gloriam conſecutum eſſe. Nego aliud fatum, quod Antiquitas ſibi perſuaſerat, efficax perurgénsque difficiles vias, & ipſius neceſſitatis umbones ferreos rumpens; quàm juſtiſſimam juxtà atque potentiſſimam voluntatem placitúmque ſummi rerum omnium Moderatoris. Agnoſco, venerórque ſupplex vindicem tuam manum, Sanctè Exercituum DEUS. TILLIJ vulnere, non TILLIUM, ſed nos ſauciâſti. TILLIJ lapſu, non labentem, ſed nocentes affligis, & felicem tibíque Charum, Bojariæ etiam CHARISSIMUM illum eſſe commonſtras, cujus defectu reos punire voluiſti. Ecce, hoc CHARISSIMO Machabæo læſo, trepidant caſtra, ſubſidunt animi, deſeritur ſtatio, tranſitur Lycus, hoſtis exultant furiæ! Meruiſti, MAGNE TILLY, etiam ſic inclareſcere: ut, quid in pugnante ſpei ſalutisque habuerimus, in non pugnante primùm cognoſceremus.

Providentiâ divinâ bella reguntur, & caſus adverſi.

TALIA mecum volvebam cubito incubans, & oculo incuriosè vago ſubjectum nemus hortúmque pro-

proſpiciens. cùm ad me venit ALPHONSUS Juvenis le-ctiſſimus & amœni ingenij, Musísque manſuetioribus tam bene notus, quàm quivis alius in Cyrrha. Is feſtinatione anhelus, & in limine adhuc conſiſtens, TILLIUS exclamat, MAGNUS TILLIUS exſpiravit! ver- *Magni Tillij mors.* gebat tunc dies ad occaſum. itáne verò? dixi: ſatin' compertum eſt? cave, me famæ incertis rumoribus oneres. oculatus jam vix credo. Atqui his oculis crede, inquit: his vidi animam trahentem: interfui fortiſſimi bellatoris ultimæ luctæ. ſimul his, candentem cereum oſtendit ab ACADEMICA MAJORE VIRGINIS ANNUNCIATÆ CONGREGATIONE petitum, transmiſsúmque eo fine, ut pro Romana Fide extremùm pugnaturus Heros, illum in manus æternitatis viæ prælucentem ſumeret, tactúque animoſiſſimi luctatoris memorabilis factus, reſtitueretur, in reverentiæ ſingularis opinionem, pretiúmque ſacrum aſſervandus. Ego felicem me exiſtimavi, qui viderem religioſiſſimum hoc pignus: malimque, adjeci, hunc Cereum; quàm Cereris raptam filiam quærentis cupreſſinam tedam, miris fomentis arcaníſque roribus inſigniter luculentam. Vix memini videre me, pergit Alphonſus, piæ magis ac ſolatiis dignioribus imbutæ, inter acerbiſſimos dolores, genus mortis. Jacebat Heros, unico ſecundùm DEUM præſidio VIRGINIS MATRIS fretus, illam illam identidem ingeminans, ſibi dilectam CASTRORUM MATREM & AUXI- *Pia.*

LIUM CHRISTIANORUM. Jacebat mente in Cæleſtium veneratione rerum defixâ, & Chriſti patientis Vulnera mortémque, non ſine commiſerationis ſenſu aſpiciebat. pœnitentia ſacróque oleo expiatus, & rebus omnibus cum illo, qui à confeſſionibus fuit, communicatis, cupiebat diſſolvi militari cingulo, & æternitatis præmio frui. inſonantibus aliis pietatis voces, excitatus circùm oculos tulit, & ſolatium hauſit. pòſt paullò defecit ſermo debilior, & venæ micantis celeriùs temperamentum turbari cœpit ab injuria mortis. ſic inter aſtantium ſingultus precéſque, ſub horam ſeptimam veſpertinam, DEO animam victricem reddidit. Dux, haud dubium, inſignis, cui ſimilem multa ſæcula non viderunt, futura ſuperiorem vix videbunt.

Scribatur ergo iſte dies trigeſimus Aprilis Anni M. DC. XXXII. referatur in acta: legatur à poſteris: colatur à Principibus: obſervetur ab exercitu. Cùm bellandum eſt, cùm perrumpendæ difficultates; hunc enimverò diem ſupplicibus votis milites venerentur. Optâſſet quidem hoſtis, uno ictu è medio glorioſum HEROEM tollere: Superis aliter viſum: ille aliter meritus. Par erat, ut ſemideûm more celebri leto occumberet. Atqui cum ampliſſimo vulnere mortuus: & in honore erit, apud poſteritatis curioſa ingenia, ille plumbeus globus XII. unciarum, qui vulnus inflixit. non minùs decebat, tam pium Ducem, piam tran-

Heroica & glorioſa mors Tilii cenſenda.

tranquillámque mortem oppetere: oppetiit, belli lauream pacis olivâ condecorans; & militarem gloriam ſecura pace ſolatus. Sive igitur conſideramus vulnus; donativum fuit, & virtutis congiarium: ſive mortem ex vulnere; præmium fuit tam exercitatæ ſenectutis: ſive utriuſque commercium; mixtura fuit beatæ immortalitatis. Ipſemet certè, erepto viſoque ex fatali vulnere globo illo, oculos in cælum, cum dicto hoc ejaculatus eſt, audiente Exercitu: BENEDICTUS DEUS, & MATER EJUS! tum Primipilos conſpicatus; Filii mei! ſic ſic agendum, ſi honeſtam mortis gloriam quærimus. Vive DEO, MAGNE TILLY! miſerere hoſtium tuorum: ſuccurre amicis: & in pectoribus Cæſaris, Principum, totiúſque militiæ periculoſum bellum adminiſtra.

Hæc Alphonſus. At non ego in encomia ſtatim ſpargebam mœrentem animum: ſed humanarum rerum viciſſitudines menti præſentiùs objiciens, gemitus & ſuſpiria, dolore plenus, contorſi. Quàm lubrica vita eſt mortalium! quàm certa mors! incerta mortis hora! omnino nihil ſtabile ex elementis compactum: nihil duraturum in multa ſæcula, noſter hic orbis calamitoſus habet. cuncta diffluunt, nivis inſtar manibus excuſſæ. divitiæ, honores, opes, quælibet res ſub Luna volubili fluxæ, ſine formidine non poſſidentur: quemadmodum immanſuetæ belluæ in aëre peregrino, vel vitrea cavea, ſine metu perrumpendi *Vanitas mortalis vitæ.*

non ſervantur incluſæ. ut qui maximè ſtudeas ambiáſque felix eſſe; à fortunâ ad ſatietatem cæderis. parcat hæc; tamen leti ſpolium eris. quid deinde proderunt poſſeſſa, quæ acquirenda fatigârunt, & acquiſita nocuerunt? an barbari ululatus, & VAH! & IO! & EUGE! an inciſa metallis oppida? captivi fluminum tractus in fluentibus vexillis? an denique triumphales arcus, excitabunt jacentem in arca ſepulchrali? Virtus profectò una ſolatium eſt duraturæ nobilitatis, & poſſidentis eam hominis bonum ſyncerum, neque periturum. Fuerit ſanè M. Tillius glorioſus, victor, felix: ſi non & vera virtute prædirus, animi demiſſione Chriſtiana, pietate religioſa, fortitudine adverſùs vitia ſingulari, continentia inaudita, ſi non moderatione ſuæ poteſtatis incredibili officij dignitatem obſignâſſet: ut quid profuiſſent alia laudatæ vanitatis emblemata nugæque? Felicitas verúmque bonum in virtute poſitum eſt; non in levibus bracteis honorum aut voluptatum. At Enim & Iste Mortuus, qui immortali vita dignus erat; ſi immortalem in duobus locis degere potuiſſet. Veruntamen caſus, fortuna, triſtiſque calamitas in peius fluentium rerum, hoc in exulum loco, ubi Parcæ nobiſcum vivunt, facilè ſuccidit tenue ſtamen vitæ, ita contextum, ut nullo labore rumpatur.

Vivere, feſta res eſt.

Ah! fateri vera ſi volumus, plerumque præſtat maturè occumbere, quàm ſerò diſcere mori. Ament

ment illi longam vitam, qui non intelligunt, quàm ſevera res ſit vivere; quàm arduum negotium, ad falſa gaudia expalleſcere, & in medijs doloribus conſtanter ridere. Non ideo felicior M. Tullius, quòd diu vixerit; ſed quòd deſiderijs Imperij Rom. & votis populi parùm. Is infelicior, qui plurium annorum luſtris oppreſſus, nullum aliud epitaphium meretur, quàm illud Reguli: Bene fecit, quod mortuus est. Quid multos annos optamus & ſeram mortem, morbum ſcilicet diuturnum, & nullam medicinam? ſunt ignobiles hæ vulgi curæ; velle tantùm eſſe, bene vivere nolle. quippe non intelligunt, quid fuisse & vixisse differat: fuiſſe timidum; vixiſſe fortem: fuiſſe ignavum; vixiſſe ſtrenuum: fuiſſe impurum; vixiſſe caſtum. Sed ut maximè reluctentur hæc vitæ voluptatiſque mancipia: rapiuntur nihilominus, inſtar victimarum, ad Libitinæ macellum: trahuntur funibus ſuarum cupiditatum: & ut fallaces laquei deſint, ſua quemque hora ſtrangulat. hìc ne eximij quidem eximuntur: omnium æqualis conditio eſt. Et verò parùm refert, urnam bellicus, nitratus, an Olympicus pulvis impleat: ex quo buſto reſolvatur cinis, regalis palatij, an humilis tugurij: modò ſit pulvis cinisque, ludibrium ventorum. Nempe ſi arator, dum campos proſcindit, oſſa calvámque inveniat, credat hanc ſtatim alicujus Regis eſſe, & veneretur? unde autem pelle piliſque demptis cognoſcet? atque ut

credat: quanta conſurgit hinc gloria, dimidiatum ab indignante agricola inveniri, & proiici cum detrimento vomeris? Revolviſti ſæpenumero hæc, M. Tilly! & ad decretorium momentum compoſitus, quid honores, quid gloria, quid opes, quid ſpolia, quid titulorum laudúmque inanes valerent bullæ, ſagaci mente prævidiſti, certus, non niſi tibi Deóque incumbere: non ſanguine, non caducis rebus, non mortalitatis cadentibus niti truncis: ſed prœliari prœlia Domini; & baltheo, Sacramento, corporéque ſolutus, ſideribus bellatorem animum inferre. O! ſi & nos, Alphonſe, ſi hujus exemplo Ducis, alij quoque removerent pauliſper corymbos & velamenta, quibus Mundi gloria fulgere creditur! quàm longè pulchrioribus auſpiciis & gererentur bella, & certioribus triumphi in tentoria ac caſtra pleno agmine provolarent.

Belli Dux quid obſervare debeat.

Quid juvat expugnare urbes; ſi expugnantis animus à vitiis oppugnatur, jam deditionem facturus? quid tormenta dirigere poſſe; ſi conſcientiam malè munitam plùs quàm curule tormentum quatit? nitidior quidem cruſta, obtegit jam fallacias neglectæ mentis: modò fores ſplendeant, & in hominum oculos incurrat amabilis ſuperficies; factum cupidini ſatis. quæ vera virtus, verus honor, & unde, quoque comitatu veniat; ſcire hoc in poſtremis ducitur. hinc neque dedecori eſt, à metallo ſaxiſque

xiſque extundere adorandas & rubiginoſas effigies: quaſi iſtæ poſt funera perennare poſſint; & non potiùs in Pario marmore, quod virtus expolivit, perpetuò victuri fama nominis certiùs atque ſecuriùs conquieſcat. Ridendi ſunt illi, qui dum parùm vel nihil publicæ rei proſunt, nulloque facto poſteritatem ſibi devinxerunt; conductis tamen præconibus, buccisque ab eloquentia vana turgentibus, cadaveris ſui fœtorem commendant: ut ignobili ſcilicet tumbæ, nulláque re, niſi mole funeris viſendæ, jacentis intus maſſæ gravi, peculiaris honos habeatur. habeatur ſanè: convocent tales pictorum ſculptorúmque ab arte & ore variam gentem, mendicabulis hisce aliquam æternitatis (heu! quàm brevis) ſtipem elargiantur. an verò non ipſa tandem etiam ſepulcra moriuntur, & ſaxa affabrè exciſa, cælaturæque nobiles tabeſcunt?

M. Tillium nulla manus fingat, nulla tumba compoſitum oſtendat: an ideo cenſebitur perijſſe? quot bella geſſit, tot ſtatuas habet: quot victorias retulit, tot in tabulis, vivis coloribus depictus eſt: útq; ne ars deeſſe videatur, umbram fulgentibus à victoriæ vultu picturis, ipſi hoſtes occiſi addent. Conſervanti civitates, provincias, regna, Imperium Rom: deerit nempe magnificum ſepulchrum? etiamſi neſciremus, qua funus jaceret in Libya, aut quibus in fluctibus, ut olim Pompeij truncus, volutaretur: M. Tillius ſepulchro non indiget.

nam

nam & iſte Magnus, ex tanto cumulo victoriarum, ex acervo nummûm, ex tot celeberrimis templis Romanæ fortunæ, in Pharſalica acie collapſis diffractíſque, quod colligeret, vix habuit. fragmenta omnia ſtudioſè conquirens, cophinum forſan unum non implêſſet.

Optima ratio pugnandi Tilliana

Sapientiùs frena ſuæ fortunæ moderatus eſt M. Tillius, & ne gaudium mœror aliquis jugulare poſſet, cæleſte ſolùm quæſivit. ſua bella continuatáſque excubias D. Virgini Mariæ obtulit conſecravitque. ex hac eburnea Turri ſuſpendit ille clypeos ſuos & armaturam fortium. ſpolia, manubias, anathemata in aurea Domo concluſit. conſilia pacis ex Arca foederis deprompſit. Non pudeat nos, Alphonſe, ab iſto Duce præcepta vivendi accipere, à quo totus orbis exempla vivendi accepit. Hæc & alia quædam, prout acuente ſemetipſam ſolicitudine, triſtitiæ evolutus impetus doloriſque facundi copia ſuggeſſit, ſi non eo ordine aut verbis, in illum certè ſenſum, plurima tunc dixi, ſtimulavique eum magis ac magis, ut adeundi funeris copiâ factâ, gliſcentem animum hac honeſtiſſima cupiditate non deſtitueret. Ille ut humanus atque affabilis naturali bono fuit, ita preces meas votúmque tantùm non prævenit; & ſuſpiriis commotus, protruſíſque de mundi vanitate ſententiis, identidem in meam faciem imminens, an reipſa hæc ſentirem, quæ dixiſſem; agitabat aliquid animo, vulgi opinione majus. Viderat M. Tillium

mo-

morientem : viderat ex hac vita abeuntem ad originem omnis vitæ : útque poſtea mihi affirmatè confeſſus eſt, ſe tum non mediocri faſtidio cachinnóque cœpiſſe mortalium fragiles teſtas, viliáque ſulphurata deſpicere; ut quæ meritò flocci fierent : poſtquam tot triumphis inclytus Dux, defunctus, non à triumphis, ſed à ſolis virtutibus laudari juſtiùs mereretur. Morti omnia concedunt, ſola virtus eximitur.

Jam in via eramus : & ipſe ultrò mecum : ah! ſi vidiſſes adhuc halantem! ille, qui in equo tam terribilis, pedes tam cordatus, apud omnes dilectus, ſolius gloriæ ſtipendia meruit: in humilitam en lectica prognoſtica venturæ mortis ſuſtinere debuit, & velut fractus Pugil ictum recipere; & mox Tillius eſſe deſinere! Adſtabant ab honoribus, & officiis, & gladiis & clypeis multi. lacrimabantur veriſſimas lacrimas ij, quos marmoreos crediſiſſes. Quidam ephebus nobiliſſimi ſanguinis, non ſine gemitu mihi recenſuit, ſe ne guttam quidem mœroris indicem, dum viveret, ex ferreis oculis unquam emiſiſſe: propè tamen propiùs fuiſſe, ut in conſpectu tam dilecti Ducis, poſt tot bella in ultimo bello cum morte militantis, non tantùm lacrimas extillaret, ſed infrenatas pleno alveo effunderet. quærebam ego cauſſas : ah! dum quærerem, removi obicem: profudit ſe impetus ex oculis, evolvítque ſe eò rapaciùs cohibita aquarum vis; & in verba ſuſpirans : moriatur ergo iſte Dux? Suecus inſultet ? & nunc? Superi ! & nunc? quo dignus

odio Tillius? cui infeſtus fuit, præterquam hoſti? quin & hoſti amicóque tractabilis. non ſuſtinebo deinceps hoc relicto Domino, aliûs ſervitium augere. ea comitas ſermonis ſuavitásq; pietatis, & virtutum omnium ſpiravit ex illo mixtura, ut ſuorum amores debitáque officia non potuerit non etiam longè minore pretio emereri. Conſolabar ego juvenem, ut ſe verba dabant: magnam quidem ex hac morte ſecuturam concuſſionem, truncatámque Rempublicam ſæpe ſæpius aliquem Ducem à conſiliis fruſtrà requiſituram eſſe. veruntamen aliter nunc æternæ menti viſum: quæ ſtatuerit nobis eripere ſolatium & Charissimum noſtrum: ut intelligeremus poſt ejus obitum, quantùm vivus profuiſſet. Crede mihi: hic felix Superiſque dignus eſſe debuit, cujus morte punimur: quam quidquid tandem ſubſecuturum eſt, id in gloriam ſacri Funeris nutrietur. non una urbs, non unum regnum; ſed orbis illi Romanus, quaquaverſum patet & dominatur, tanquam vero Parenti parentabit. Documento nobis ſit, ô nobilis anime! nihil ſub nubibus adamantinum æternúmque volvi. Cadunt Duces: ubi ſtabunt milites? moriuntur ſemidei: viliſſima plebs gravabitur ſequi? ante laureatos poſtes, & victricia bellorum ſigna figitur cupreſſus: fatalem ramum non admittet lateritia domus, aut otio marcens ſpecus? quidquid creſcit, falci proximum eſt. videmus, in ipſa honorum faſtigia taxum ſerpere. Felix ille,

Magnis æquè ac Minoribus moriendum

Digitized by Google

ille, qui non nimiùm ſe ingurgitat humanæ fortunæ funerali poculo, dicam, an blando philtro? cavendum, ut ne temulenta mens in oblivia Dei ſuámque perniciem ruat.

Atque hæc Alphonſus in via mihi memorabat comes, ſimul gloriabundus: qualiter hac dicendi ratione Ephebum ad manſuetiſſimum fletum compuliſſet, erexiſsétque iterum ad ſolatij ſperatam dulcedinem. Non minùs ego gaudebam, Alphonſum, profanis aliàs ſtudiis immerſum, nunc tantum pietati concedere, ut etiam mundi futiles illecebras contemnere videretur. Jam plateam contigeramus, in qua Funus aſſervabatur: militum ſtatio ibi vigiles etiamnum obibat vices, & ordine redigebatur in obſequium ſpeculandi. Nos introimus: admittimur in ipſum cubile: procumbimus, & animæ defuncti bene precamur. Quid autem dicam de primo cadaveris conſpectu? primò nullus horror formidoloſus, nulla terriculamenta videntes mutavêre. deinde omnes, qui aderant (aderant autem plurimi, etiam bellis inclyti duces) ſuaviſſimæ potiùs pietatis, quamquam inſolens mœſtúmque gaudium ac affectibus fluens, perculit. Sic dum lacrimabantur, triſtiſſima voluptate perfuſi, indulgebant querelis propemodum amatis: & averſis vultibus abnutantes in cervicem, ceu Funeris aſpectum præ dolore ferre non poſſent, iterum avidis luminibus redire ad dolendi cauſſam,

Comploratur iterum ab Exercitu Tillius.

 totóque

totóſque vultus jam frigentes obiêre. Cernere erat, fortiſſimos milites galeas implere lacrimis, ſingultibus pulſare clypeos, & in umbones obvoluta capita declinare: his PATREM ſuum inclamantibus, illis ſuum DUCEM, his ſuum NUTRITOREM, illis optimum BENEFACTOREM: cunctis præ magnitudine mali, luctúque torpentibus.

Jactura M. Tillij ingens.

Dum nos autem oraremus, in piaculares divinæ juſtitiæ flammas intenti; acceſſit unus, quem diſertum luctus fecerat: & ô! inquit, amici, quantum amiſimus in uno! eodem enim tempore, quo M. TILLIUS noſter deceſſit, caſtra amiſerunt ſuum Ducem, milites Patrem, Bojaria & Imperium Romanum defenſorem. Non hîc cæleſtibus arcanis curioſam infero mentem: non ſecreta fatorum contemero, non exquiro concitata mentium præſagia: ingeſtam in oculos videmus calamitatem, & irati Numinis palpamus atrocem vindictam: timor amore plenus augurum vicem eſt. MORTUUS EST NOSTER TILLIUS: noſter dico; quia noſtrûm omnium ſalus in Germania fuit. FULMEN BELLI EXTINCTUM EST: quo ſcilicet utramque manum implere ſolebat ipſe Mars. OCCUBUIT AMOR CIVIUM: cui deinceps ſua vota, ſpéſque miſeras dicabunt? DELICIUM PACIS EMARCUIT: à quo amœni otij ſecuritatem ſperabimus? TERROR HOSTIUM SUBSEDIT: quem poſthac Rebellium factio pertimeſcet? Exiſtimare nemini fas eſt, parem ſucceſſorem habiturum illum, qui nec æquales habuit anteceſſores. JA-

Jacebat M. Tillius in toro, ac ſi vivus adhuc preſſum anhelitum colligeret in ſpiramen, vultu nihil confuſo, nihil remiſſo, nihil à TILLIO mutato: ſed prorſus eo, quem conſumata gloria habere ſolet. manus ad pectus obnoxiæ, conſertisque digitis Chriſti ſuffixi crucem tenentes: ardua frons: latum ſupercilium: naſus demiſſior, & adhuc bellicoſus: oris dignitas ſingularis: barba inſpicata & caneſcens, ac numeroſa radice per genas mentúmque viriliter ſerpens: erecta denſáque cæſaries ſine artificio. Ad dextrum funebris lecticæ latus, praſini coloris faſciâ ſuſpenſus Herois gladius viſebatur: quem qui attigerat, jam ſe ſtrenuum, jam ſe fortem felicémque exiſtimabat. quod etiam de Georgij Caſtrioti Scanderbegi Epirotarum Principis prodigioſo acinace memoratur, tot Turcarum uno ictu dehiſcentium mortibus imbuto, contactúque ſuo Chriſtiana pectora cotis inſtar acuente. Ceterùm quocunque oculos in illo funerali ſacrario tulimus, ſpiravit inſolita pietas, ſacérque virtutis & glorioſæ magnitudinis horror. præterquam enim, quòd tribus continuò diebus ac noctibus, ad lecticam arderent lumina, & cum ambitu quærentibus acceſſum, copia fieret: petebantur jam mixtis gaudio votis Reliquiæ, ſi quæ concederentur, in memoriam tanti Ducis, & forſan auxilij ſpem ex merito rogantis derivandi. hi de rebus utenſilibus, illi de comminuto oſſe optabant fruſtillum, honore pio dignandum.

Funus M. Tillij qual adeuntibus e viſum.

Certatim res Tillij ad inſtar Reliquiarum ambiuntur.

Cor Tillianum cujusmodi? dum. Mihi etiam Cor oſtenſum, vividorum ſpirituum nobilis olim ſedes belliquc pondus : Atque iſtud eſt, inquiebat ille, qui medendi fideliſſimam artem Tilliano obſequio addixerat ; iſtud Cor eſt, nullo unquam facile commoveri metu : quod conſtanti temperatum calore, nullum hoſtem formidavit : quod plures cum ingenti fortitudinis laude exſpectavit pugnaturos in campo, vicit in pugna.

Plura dicturus erat : ſed ab urgentibus aliis, qui magno numero veniebant, ſubmovebatur : egóque rectà ad Alphonſum, ut domuitionem pararem : jactavi, me Cor vidiſſe M. Tillij. quid enim fortius, quid generoſius, quid iſto die nobilius videre potuiſſem? at ille viciſſim gloriabatur, ſibi libellum à manibus precatorium oblatum eſſe, quotidiana Ducis pietate fervoréque & aſſidua verſatione uſque ad labem attritæ paginæ notabilem. ſe enimverò credere, ab iſto fonte tam defæcatos cæleſtéſque Spiritus ex animoſiſſimo ſanguine confectos, in Cor Tillij dimanâſſe. Orando vicit : experta res eſt. & en tibi preces ſcriptas: has ſingulis diebus, & ante exordium pugnæ recitâſſe fertur. Exin mortali major viſus, obequitans, aciémque diſponens, fiducia plenus, placidiſſimo interim vultu ad DEUM Exercituum converſo, ſe ſuóſque Victoriæ devoviſſe. Subintuli ego : Alphonſe, ſi me amas, dabis & mihi deſcribendas. ille, ut petis. reddes, cùm ad te rediero, conceſſas. ita manibus datis ultrò citróque dividimur. Po-

Digitized by Google

Oratio M. Tillij, quam ſingulis diebus, & ante ſingulas pugnas recitavit.

ORATIO
hæc fuit.

POtentiſsime Exercituum Deus, Rex cæli & terræ, Regúmque omnium, ac Dominus Dominantium, ſine cujus nutu nulla victoria obtinetur, ſine cujus ſingulari auxilio & gratia, nihil cum vera virtute & laude conjunctum geri perficiq; poteſt; cui facile eſt, concludere multos in manu paucorum; & in cujus conſpectu non eſt differentia, liberare in multis, & in paucis; qui innumeris Principibus ac Ducibus ſub veteri & ſub novo Teſtamento bellum pro gloria nominis tui gerentibus ſapientiam & prudentiam, vires, animum, gratiam & ſubſidium, ut vincere ſcirent & poſſent, réque ipsâ vincerent & victorias de hoſtibus reportarent, largitus es: Te ſuppliciter oro, ac deprecor, ut mihi

hi quoque indigno famulo tuo, bellum gerenti pro nominis tui gloriâ, pro tuæ Religionis Eccleſiæque ſanctæ propugnatione atque amplificatione, pro infinitarum propè animarum, ne æternùm pereant, conſervatione, digneris adeſſe, luménque largiri, quo optimè meo Ducis munere fungi, hoſtium inſidias ſapienter devitare, cum eisdem, quando, & ubi conſultum eſt, congredi aut non congredi, & denique meum exercitum ad hoſtilem ſuperandum victoriámque conſequendam convenienter dirigere & gubernare ſciam. Digneris quoque etiam mihi gratiam dare & auxilium, quo, quod optimum factu cognovero aut judicavero, id reipsâ felici ſemper eventu præſtem, victoriámque nunquam non ad ſempiternam Nominis tui gloriam de hoſtibus referam. Neque enim mihi, ſed tibi Regi ſæculo-

culorum immortali & inviſibili Deo ac Domino meo benigniſsimo, à quo cuncta bona procedunt, ſoli honorem & gloriā ex victoriis, quas dederis, apud cunctos mortales exiſtere deſidero: petóque humiliter, ut animum meum ab omni ſemper elatione liberum ſerves; ne mihi ullius præclari operis, heroicíq; facti, aut proſperi, aut cum laude conjuncti eventûs gloriam arrogare præſumam; ſed tibi ſoli omnem ſemper attribuam. Propitiare Domine ſupplicationibus meis, eáſque clementer exaudi. Ne reminiſcaris delicta noſtra, neque parentum meorum, neque hoc tempore, quo de tuo honore, tuique Nominis gloria, de Eccleſiæ tuæ ſanctæ defenſione, & de tot animabus ab æterno interitu ſervandis agitur, vindictam ſumas de noſtris Catholicorum peccatis: ſed pro infinita bonitate tua, eam, ſi o-

mnino remittere nolis, in aliud differas tempus: ne inimici Eccleſiæ nominíſque Catholici, ſi de nobis, te nos ob delicta noſtra puniente, victoriam retulerint, & nos & te irridentes dicant: ubi eſt Deus eorum? ſanctúmque Nomen tuum blaſphement, ſancta tua prophanent, & ampliſsimam illam vineæ tuæ, Eccleſiæ, inquam, tuæ partem, quæ Germania continetur, invadant, occupent, peſſumdent, atque ſic innumerus penè animarum numerus extra veram æternæ ſalutis ſemitam, ad errorem de via pertrahatur & pereat. Averte, benigniſsime & ſalutis hominũ amantiſsime Deus! averte tanta támq; horrenda mala: ne deſpicias nos in neceſsitatibus noſtris. Miſerere Eccleſiæ tuæ Germanicæ, miſerere! quia venit tempus miſerendi ejus. Tu es refugium noſtrum & protector noſter: reſpi-

ce

ce in nos, & ab inimicorum periculis cæleſti nos protege auxilio. Adjutor & liberator noſter es, Domine, ne moreris, ſed ad adjuvandum nos feſtina. Exurge Deus, & diſsipentur inimici, non magis mei & Catholicorum ceterorum, qui mihi fœdere juncti ſunt, quàm tui & dilectiſsimæ Sponſæ Chriſti Servatoris noſtri, vineæque, quam plantavit dextera tua, Eccleſiæ, inquam, Religionisque Catholicæ. Conſilia eorum atque conatus omnes, in noſtrum, Catholicorum & Eccleſiæ tuæ ſanctæ exitium tendentes, inanes redde, atque in nihilum redige. Exurge potentiſsime Deus, apprehende arma & ſcutum, exurge in adjutorium noſtrum! Eſto nobis, Domine, turris fortitudinis à facie inimicorum, ut nihil proficere poſsint in nos, & ut non apponant nocere nobis. Diſperde illos in virtute tua, fiant tan-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

quam pulvis, quem proijcit ventus à facie terræ. Irruat ſuper eos formido & pavor. Angeli tui ſancti, mei, & aliorum Catholicorum cuſtodes eos perſequantur, eorúmque elidant ſuperbiam, atque contumaciam potenti virtute proſternant conterántque; ut nos tui veri cultores, Orthodoxæque fidei & Religionis profeſſores, glorioſa de eiſdem tuo beneficio potiti victoria, Tibi in Eccleſia tua im̃ortales gratiarum actiones referamus, & omnes, qui iſta magnalia cognoverint, omnipotentiam providentiámque & clementiam tuam in ſervos tuos, liquidò cernant, prædicent, glorificéntque ſemper. Sic fiat, Domine, ſic fiat! Et vos Sancti omnes, qui in Eccleſiæ Catholicæ gremio aliquando vixiſtis, atque adverſùs hoſtes ejus glorioſè fortitérque depugnâſtis, eiſdem ſuperatis, immortalitatis coro-

nam

nam & gloriam adepti eſtis; ut, quod petimus, aſſequamur, Veſtras apud Divinam Majeſtatem atq; clementiam interponite preces, eidem gratiſsimas. O beatiſsimi Cælites! noſtrum eſtote, poſt Deum, in iſtis neceſsitatibus & periculis refugium. Miſeremini noſtri, miſeremini noſtri, ſaltem vos amici noſtri! In veſtrę interceſsionis præſidio plurimam habemus fiduciam. Oramus ergo, ut pro nobis benigniſsimū Deum noſtrum, cujus nunc clara beatâque viſione fruimini, orare dignemini: nominatim verò ſanctiſsima DEI GENITRIX, Conſolatrix afflictorū, Refugium peccatorum, Advocata, Patrona & Adjutrix Chriſtianorum: Ora pro nobis S. Michaël, cæleſtis militiæ princeps, qui in prœlio adverſùs Draconem victoriam reportâſti: Ora pro nobis S. Archangele, qui Germaniæ Præſes & Cuſtos es

Digitized by Google

conſtitutus à Deo: Ora pro nobis.
Omnes SS. Angeli, quibus mei & aliorum Catholicorum pro defenſione honoris divini, & Religionis Catholicæ cunctorum cura & cuſtodia à Deo eſt demandata: Orate pro nobis

S. Joſue,
S. Gedeon,
S. David,
S. Alexander,
S. Theodore,
S. Georgi,
S. Floriane,
S. Mercuri,
S. Victor,
S. Quirine,
S. Exuperi,
S. Marcelle,
S. Vitalis,
S. Gallicane,
S. Arſaci,
S. Juliane,

Ora pro nobis.

S. Ro-

S. Romane,
S. Ferreole,
S. Adjutor,
S. Longine,
S. Nicoſtrate, } Ora pro nobis.
S. Urſe,
S. Anaſtaſi,
S. Modeſte,

S. Achati cum ſociis,
S. Caſtule cum ſociis,
S. Gereon cum ſociis,
S. Eudoxi cum ſociis,
S. Callıſtrate cum ſociis,
S. Theodoſi cum ſociis, } Orate pro nobis.
SS. Cyron & Candide cum ſociis,
S. Gregori & omnes Mauri milites,
S. Mauriti & omnes Thebæi milites,

B. Ignati ora pro nobis. Omnes Sancti milites orate pro nobis. Omnes Sancti & Sanctæ DEI, qui unquam in Germania vixiſtis, quorum ſan-

ſanctiſsimæ Reliquiæ in eadem exiſtunt, quorum glorioſa memoria & cultus apud Germanos Catholicos viget, & ab Hæreticis, hoſtibus noſtris indigniſsimè deſpicitur, atque ut penitùs aboleatur, ſummo ſtudio contenditur: orate pro nobis. Orate, inquam, cum ceteris omnibus Cælitibus, æterna beatitudine fruentibus; ut victoriam ex hoſtibus noſtris, veſtríſque conſequamur, ad majorem gloriam & honorem Dei noſtri, ad Eccleſiæ ſanctæ decus & incrementum, ad animarum quàm plurimarum æternum bonum. Propitius eſto Domine, & nos Sanctóſque tuos pro nobis intercedentes & deprecantes exaudi, ut ſingulari iſto tuo beneficio provocati, atque incitati tibi ferventiùs ad finem uſque vitæ conſtantiſsimè ſerviamus, & unà cum Sanctis tuis inceſſabili Te gratiarum actione laudemus. Amen.

UT vidi, ut legi, ut ſtupui! neſcio, an liquidius gaudium ſenſerim, volutando tanti Herois armatas preces; an triſtiori affectu percuſſus ingemuerim; quòd viderem, abeſſe illum, qui fortaſſe ſolus ea cum dignitate ac fiducia, qua par eſt, offerre Numini potuerit. Sive igitur ipſe Dux etiam compoſuit, ac verba in ordinem redegit: ſive alius, Duce ſolùm pietatis exquiſitiſſimæ ſenſum ſubminiſtrante: habet profectò poſteritas, quod admiretur in caſtris, veneretur in curia, in templis imitetur: Hanc precationẽ poſtquam pervolutavi, de TILLIJ laudibus commemorandis interea multa meditabar. oberrabat menti ſemper imago pij Ducis ingeniculantis, ſuáſque preces conceptiſſimis verbis ad Deum fundentis. mirari magis ac magis arcana ſenſa cœpi, & facundiſſimæ orationis militare Sacramentum. cogitabâmque, in inciſis, vel abſoluta periodo ſubſiſtens, omnia verba tanquam præſenti TILLIO ingeri poſſe, per hunc veriſſimum Commentarium.

Commentarius in orationem Tillij quotidianam.

I. POTENTISSIME EXERCITUUM DEUS, &c. Ita eſt, ô ingens anime! potentiſſimus hic te potentem fecit, & terribilem hoſtibus tuis. Sanctè exorſus es preces iſtas: more Majorum noſtrorum, qui precaturi ad Orientem ſe converterunt, Divinitatis illuſtre jubar.

II. SINE CUJUS NUTU NULLA VICTORIA OBTINETUR, &c. glorioſa conteſtatio. Non igitur illorum more ducum militâſti, qui Superûm contemptores, ſuis duntaxat

clypeis lacertíſque confidunt: qui ſuis in vaginis jaſpide berillóque muliebriter diſtinctis, ubi plumbeus gladius cum aureo capulo habitat, victoriam ſitam eſſe, impiè fabulantur. Poteſt quidem, & verò debet animoſus miles, cùm ad arma venitur, ferrum ſtringere non imbelli manu: non titubare, non cedere, non fugam circumſpicere; ſed obnixo pectore impulſúque armorum inimica ſigna invadere. at verò victoriam ſibi polliceri non debet certò venturam, niſi Numine deſtinante. Dicit Julius Cæſar, VENI, VIDI, VICI. modeſtior Catholicus Imperator Carolus V. VENI, VIDI, DEUS VICIT. pulchrior eſt iſta confeſſio tuæque conſona M. TILLY. Quantùm igitur diſtant Antiquitatis ſuperbæ ſæcula à noſtris? quàm faſtuoſas ſpargunt voces inflati tumentéſque animi, ventóque vanitatis, quo turgent, maximas claſſes impulſuri? quidquid proſpero Marte geſtum eſt, ſuis adſcribunt titulis. EGO CANNAS IMPLEVI: ROMANA MOENIA, SEPTEMQUE MONTES CONTERRUI. EGO NUMANTIAM EVERTI: CARTHAGINEM SOLO ÆQUAVI: MIHI ALPES ACETO RUPTI PATUERUNT. FRUSTRA FINGUNTUR DIJ: FEFELLI FIDEM, FOEDAVI ARAS; ET TAMEN VICI. CREDAMNE SUPEROS ESSE, QUI MIHI OBSISTERE VALEANT? PERRUMPAM INVITO JOVE. FLAGELLABO SOLEM, NISI CONTUMAX ASTRUM MITIORI CALORE DILUAT: COMPEDITE NEPTUNUM VINCULIS: CÆDITE DORSUM REBELLIS OCEANI. EGO, EGO SUM FILIUS HAMMONIS NIGRI. EGO ILLE, QUI, &c. Nempe his

Prudentes boníque Duces, victorias Deo referunt in acceptis. ſecus olim Romani fecêre.

Digitized by Google

his verborum monſtris, majora monſtra ferociunt, & grandi paſſu Coloſſeæ ſtatuæ ad ſublimem nebulam aſſurgunt, caput alliſuræ. Quanquam quis fatuis hiſce ſuccenſeat? quando non minùs apud Chriſtianos rariſſimum eſt, ſupplice animo & datâ operâ agnoſcere, Deóque in acceptis ferre conceſſas victorias; & concedendas non niſi ab ipſo præſtolari. M. Tillij in paucis iſta laus eſt, erecti excelsíque animi certiſſimum argumentum.

Cui facile est, multos in manu paucorum, &c. præſenſiſtíne hoc, animoſe Dux? an cæleſtis tibi Genius dictavit, Deum tibi obſecuturum? Inimici plures erant Pragæ: cum paucioribus viciſti. plures erant Wimpſenæ: viciſti. plures in Lorichienſi agro: viciſti. plures Cimbricis paludibus erepſerant: viciſti tamen. ſic te bellante, te orante, hoſtes ubique tuos vel ignis extinxit, vel aër defecit, vel aqua ſubmerſit, vel tellus conſepultos incluſit. omnia elementa viſa ſunt famulari auſpiciis tuis, & adjuvare belli cauſſam, propter belli Ducem. III. M. Tillij hoſtes à Deo obtriti.

Qui innumeris Principibus ac Ducibus. Non vis eximius videri, nec tanta laude dignum putas ſemper, vincere, cùm pluribus ſolenne ſit. Ego autem pauciores in comparationem admitto: præfero neminem; poſtpono multos: à te ſecundi ſunt & ipſi primi. IV.

Sub veteri et sub novo Testamento. O te veriſſimum Joſue! ô inclytum Gedeonem! ita te D.

 Mau-

Mauritius amet: quem Thebæa Legio non dedecuiſſet.

VI. Pro gloria Nominis tui bellum gerentibus. Non pro puncto honoris; quia puncta licèt conferta atque millies multiplicata, nullam molem factis addunt, nequè famam extendunt: non propter plauſtra ſpoliis oneranda: non ob vagam diſſolutæ vitæ licentiam. Pro gloria Divini Nominis M. Tillius arma, vulnera, ſanguinem impendit. arma quinquaginta quinque annis geſtata, octo vulnera, ſanguinem quacunque hora effundendum. Auditis hæc milites? & nihilominus veſtras manus iráſque venditis?

VII. Largitus es Sapientiam. Cæleſte hoc donum eſt, nec animum cum diſpendio ſalutis, mortalibus ſinit implicari rebus.

VIII. Et prudentiam. Quâ bella pacíſque negotia temperantur. quis autem hoſtium vel tua conſilia evertere potuit, ut perirent; vel ſua occultare, ne ſcires? quà non videtur Deus, humanis rebus intereſt: qua minimè parte exſpectabaris, ſuperveniebas rebus lapſis, & hoſtium retundebas minas. noveras omnia, ubique præſens: prudentia tua perveſtigavit abſtruſiſſimas, & cuniculis quibusdam erutas perduellium fraudes. monueras Ratisbonæ: prædixeras cladem: conſilium dederas: ſed nos in adverſis rebus puniri merebamur; tu iiſdem inclareſcere.

IX. Vires. Militis, Ducis, Semidei. quî aliàs duráſſet

ſet tot tantisque laboribus exantlatis; niſi ut Antæus terram Matrem contingens reſpiravit validior; ita tu cælis caput inſerens, novum vigorem hauſiſſes ab aſtris? Quantæ autem hæ vires, quæ nec frangebantur vigiliis, nec inedia, nec frigore, nec æſtu? Parabili victu contentus, conſidebas in campis; ſub tentorio tam magnus, quàm Camillus in Capitolio: dormiturus, in proximo ceſpite proſternebas defeſſa membra: brevi ſomno peracto, Arcturo currum ſuum obvertente, vertiſti animum excitatum ad preces: inde ad bellum, pulverem, ſudorem, ululatus & claſſica.

X. ANIMUM. Animoſum, ſingulari Dei auxilio animatum, animantémque integros exercitus: Spiritum illum, quem tota Germania ab ore tuo traxit: cùm progrediebaris ad pugnam: vix à militibus viſus, vires fatigatis ingerebas. AD ARMA clamabatur: PATER OBEQUITAT. NOSTER ANIMOSUS SENEX ADVENTAT. UT VIGORE PLACIDO AFFLAMUR: UT IN ANIMUM PECTÚSQUE NOVA VIS DESCENDIT? UT NERVI ROBORANTUR? EXULTANT STRINGENDI GLADII, ET HASTÆ ABSQUE MORTALI MANU LIBRANT PONDUS SUUM. Tu, vel rogare, quî ſe haberent, vel ſolari afflictos, vel promittere bellum (nam ſub te belli promiſſio cadebat in debitum; & exigebatur rigidiori jure, quàm ſi neſcio qualẽ Perſicam Gazam promiſiſſes.) redeunti ad tentorium. Io! VIVAT PATER! inclamatum eſt, VIVAT M. TILLIUS! ſimúlque incuſſis clypeis feſti fremitus per caſtra ſonuêre.

M. Tillius Patris populare nomen à militibus commeruit.

XI. GRATIAM. Num Dei? opinor primùm. num Principum? deinde hanc. utrâque pollens, utriuſque meruiſti præmium. Deo charus, Superis dilectus (& quantùm illi Virgini, quæ Oettingæ colitur?) Cæſari gratiſſimus, aliis Principibus amicus: totus quantus Tui, cui te impendiſti, SERENISSIMI ELECTORIS MAXIMILIANI: qui ut inſigniore nominis exiſtimatione nullum Ducem magis honoravit, quàm te invitum; ita ſapientiùs ſe nihil egiſſe putat, quàm cùm ad bella elegit invictum.

XII. ET SUBSIDIUM. quale autem hoc? peculiare? an quo divina providentia conſuevit cujusque in ſe ſperantis fiduciam dignari? quale, dicis, illi optimum & neceſſarium videbitur. O mentem cæleſtibus conciliis inſertam! Sic, ſic devinctum tibi Numen habuiſti. cùm neceſſum fuit, ſubmiſit pugnaturo incuſſi ætheris ſupplementum, & Terribilem Caſtrorum Aciem ordinatam. cùm in arcto eras, dilatavit animos magnitudo Domini; hoſtiúmque contumaciam vi, ferro, flamma, metu, fuga perdomuit: dicuntur ipſi homines, ut equi, pavefacti, nullo verbere potuiſſe ampliùs ad officij dignitatem bellíque memoriam compelli. ergo averſo vultu tergora oſtenſa. TILLIANI inſecuti, agros cadaveribus latè impleverunt. in Turlacia pugna, ſtipatas funeribus vias, & multa circùm ſtadia expulſis animis conciſa membra cùm horrore diſtenderunt. finem pugnandi veſpera fecit, animus nun-

Subſidium M. Tillij pugnantis, è cælo.

Pugna Turlacenſis.

nunqu am defuit. certatum ab hora tertia, uſque ad abſentiam hoſtis vivi, & vacuos bellatore campos. non priùs gladios vagina texit, quàm diem nox abſcondit : ſic una eadémque caligine mortis & noctis cadavera involuta jacuêre. Sed aperuit poſtmodum exoriens dies: atque operæ pretium fuit, videre immania corpora, & adhuc poſt fata truces minas vultuum. quidam occurſu pectorum obtriti : alii conciſi vulneribus : nonnulli medij diſſecti : omnes interfecti, calvarum aggerem compleverant ; niſi qui clementiâ tuâ capti, ſervile baſium victori gladio meruerunt figere, & veſtigia pedis oſculo demiſſo venerari. Chriſtiano Halberſtadio ad Mœni ripam alteram belli tubam inflante, vix ſonitum acceperas ; ilicet infeſto agmine adproperâſti tantis itineribus; ut priùs interitum ſuum ſentiret, quàm adventum tuum cognoſceret; edoctus nullum hoſtem provocare : aut ſi ullum hoſtem, M. Tillium ſaltem non proritare. Prolixiùs ego hæc memoro, quàm pugnaveris. Te in confertam aciem penetrante, fit latè fuga, & profundior cædes. ruebant hoſtes confracto ponte in flumen; & qui ſemineces imperfectam mortem in vada tulerunt, ſubmerſi ad infeliciorem paludem appulere. Viſa eſt præter morem unda fremere : ut, quod victorem evaſerat, tumens procella oppirmeret. Ergo alij cum equis & curribus præcipites induebantur in frena, atque in profundum tracti vortices pedibus comploſere : alij

Cæſus Chriſtianus Halberſtadius.

cum

cum impedimentis provoluti, cruda vulnera eluerunt, ſolatio vitæ, aut honeſto tumulo cærituri. ſtridebat gurges, & cadaverum diſperſas rates ac naufraga membra, uſque Moguntiam in ſpectaculum propellebat. effundere dein ſe populus, & victoriæ ſigna mirari, timidis adhuc animis, & cunctantibus credere oculis, votóque ad ſatietatem impleto. Equites & Aurigæ Chriſtiani Pharaonis, fluctibus involuti, ſacrilegio contaminatam prædam, aurum, æs, gem̄as, veſtes, arma, & quod proximum erat, utres plenos aquarum ad ripam effudêre. Hîc ſi quis ex me quæ-rat, quis vicerit? dicam: Tillius. ſi roget, quis equites demerſerit? reſpondebo: Tillius. ſi interroget, quibus viribus? quanto tempore? quot horis? quo loco? inferam ego: ſuis viribus, brevi tempore, vix tribus horis: locum ſcit Moguntia, præparavit Aſcheburgum, ſignavit Mœnus, elegit hoſtis, cruentavit victus, memerabilem fecit victor, viator pertranſiens adhuc horret; Tillius ultioni Cæſaris Aquilisque victricibus conſecravit. Quid dicam hîc, fortiſſime Dux? niſi quòd incertum feceris, merueriſne tale ſubſidium virtute pietatis, an fiduciâ Numinis.

XIII. Ut vincere scirent et possent. Sciviſti: ac ſi tu quidem ipſe neges, fidem hac in re non mereberis invenire. potuiſti: támque certò cum paucis, quàm dubiè alij cum multis. non Danus in alga ſecurus, non Turlacius in falcatis curribus tutus, non Mans-

feldius

ſeldius latibulis ſatis ſeptus. Solertia exerti judicij ſapiénsque calliditas, perveſtigavit omnes victimas, in ara campeſtri Cæſaris regio dolori immolandas. Antehac Germania forti milite & bono Duce contenta fuit: tuis provecta auſpicijs, deinceps non niſi optimum Ducem, & fortiſſimum militem ferre poterit. Atque ipſi Romani Scipiones, ſi tua bella viderent, culparent ignaviam ſuam: diceretque Cæſar: VAH! QUÀM PUERILITER JOCATI SUMUS.

TE SUPPLICITER ORO. Ut ſolebas, ut pietati tuæ conſentaneum fuit, concubia nocte, vel ſub auroræ crepuſculum, levatis ad aſtra manibus, diu, ſæpe, ardenter, pluribus horis ſpiritu virtutis inter ſe continuatis atque connexis. ingeniculans non oculum movebas, ſed intentus & tanquam in ara conſiſtens, bella tua milítemque triumphanti Eccleſiæ commendabas. Quando hoſtile claſſicum inſonuerat, cunctis ad prætoriam cohortem curſantibus, tu immotus imperâſti moram; donec Sacerdos feciſſet. peractis precibus conſurgens, tunc primùm capulo tacto excuſſiſti victorias. Neque enim, dum rebus ſacris vacares, interea temporis populari potuit hoſtis. tenebatur arcanis vinculis, frenóque coërcitus, damnabat torporis ſui ſupplicium: atque unde irrueret ille fatalis languor, attonitus mirabatur & frendebat. Quòd ſi temeritate incredibili ſolvente metum, primus auderet concurrere; abſentiæ quoque tuæ dedit pœnas. factum non-

XIV. M. Tillij frequentiſſimæ in bellis preces, vincunt hoſtes.

Digitized by Google

nunquam, ut bigeminus, unúſque duo fueris: oraveris pedes, pugnaveris eques, unus & idem & uterque viceris multos.

XV. UT MIHI INDIGNO FAMULO TUO. Prudenter, demiſsè, Chriſtianè.

Gloria Dei finis M. Tillij pugnantis.

BELLUM GERENTI PRO NOMINIS TUI GLORIA. Quod amamus, ſæpe revolvimus. ille finis tuus, tenaci propoſito cohærens, identidem occurſavit animo. Novum bellandi genus! pro gloria Dei amplificanda TILLIUS prœliatur. Credunt homines paſſim, ferro armíſque hunc orbem dividi: ideo geſtari ſagum, ut potentia togata creſcat: ut maria terræque occupentur: ut immortale nomen reſplendeat in memoria civium. quanquam tales præpoſtera ſæpe falluntur opinione. dum enim neglecto Deo, ſuo cineri arduum decus præſtruunt, titulos emunt, phaleríſque graves & torquati, omnium gentium linguis cupiunt deprædicari, tacentur æternùm: inglorij ſub pyramidum molibus jacent, terra gravi; quando levis optanda potiùs foret: aut, ſi in celebrem buccam incidunt, quæ dignetur refricare memoriam, tria verba lucrantur. plerumque autem ab ignobili calamo mactati, pueris ſolummodo placent, & declamatio fiunt. M. TILLIUS in Dei gloriam incubuit propagandam: quæ ejus naturæ eſt, ut amatorem ſuum aſpergat celebri luce, & redundet.

XVI.

PRO

Pro tuæ Religionis Eccleſiæque sanctæ propugnatione. Multum, ô Roma, debes illuſtriſſimo Heroi: qui, ne apud Alemannos deficeret Fides tua, ſtrenuè allaboravit. Hæreſis virulentum animal, totiéſque reſectis capitibus in novum malum renaſcens, beatorum Cælitum cineres & oſſa maligno pede proterebat: Tillius funeſtam rabiem gliſcénſque nefas celeritate repreſſit. Scelerati Apoſtatæ, exterorum piratarum potentia remiſque adjuti, inſurgebant in naviculam Petri: Tillius quâ Moldavia fumat, quà fluit Albis, quà ruit Mœnus, quà Viſurgis reſtagnat, impiorum vota ſpéſque temerè fluctuantes, ſanguineis procellis ſubmerſit. Lutheri popæ, Calvini rabulæ mixtis furijs meditabantur evertere vicariam Chriſti, & ad vicem Numinis venerandam in terris ſummorum Pontificum ſedem: Tillius contra Islebicum ſtigmaticúmque agmen defenſor acerrimus venit: cæſis rebellibus, docuit ſuperſtites juſtitiam, & Divos non temnere, nedum ſacrilego auſu violare. Agnoverunt id ipſum Beatiſſimi Pontifices: Gregorius XV. qui Pragâ ſubactâ vehementer exultans, ſingulari dignóque munere ad M. Tillium tranſmiſſo, egregij bellatoris fidem virtutémque honoravit. Urbanus VIII. cujus electionis diem ad Statloniam Halberſtadij ad internecionem cæſi clade nobilitaverat, grates egit bono auſpici Tillio, & luculentis litteris clariſſimo victori bene precatus applauſit.

XVII. M. Tillius Rom. fidei propugnator acerrimus.

Summi Pontifices gratulantur M. Tillio victorias.

Pro

XVIII. PRO INFINITARUM PROPE ANIMARUM, NE ÆTERNÙM PEREANT, CONSERVATIONE. Quas verò iterum hîc pugnandi cauſſas adfers? num quis loricam induit noſtro ævo, inſurrexit in haſtam? ſub galea ſudavit, ut errantem animam cælo tranſcriberet? Virorum iſtud opus eſt, quos peculiaris Dei gratia ſubmovit à caſtris & turbis. milites in arma ruant: duces conſilijs bellicisque eventibus glorientur. non deerunt, qui ſanctiores curas invadent, mentésque proſtitutas ſuo Conditori reſtituent. Sed hoc mihi non ſatis eſt, inquis: videam tot millia cum oppidis in Tartarum ruere, & ruinam non fulciam? ſpectem flammatum ab hæretica Lerna graſſari incendium, & aquam ſanguinémque non effundam? Quin & mihi proximi mei cura mandata eſt. O excelſa mens! O ſupra mortalium conditionem provecta! laudo propoſitum, miror inventum, gratulor effectum. mirabuntur & alij; ſed alij fors non imitabuntur.

XIX. DIGNERIS ADESSE. Utique: tam caſtæ preces, tam fortis animus, quid non impetrent? Julius olim de fortuna conqueſtus fuit, vota ſubſequente: tua vota Deus quandoque antevertit, aliquoties periculis implicari nexibúsque doloſis permiſit, ut efficaciùs deinde eluceret auxilium. plerumque tamen valida celeríque manu adeſſe dignatus eſt: tibi venti, nubésque militârunt: tibi conjuratus æther exhibuit ſtella-

rum

rum deprœliantes exercitus, & in nubibus ardentes lanceas, crinita ſidera minitatus eſt hoſti.

Lumenque largiri. Ut ne te malignæ conſiliorum tenebræ obfuſcarent; ut dolos hoſtium occultos eruere poſſes: ut technis fraudibúsque diſpulſis, ſecurius certaturam aciem gubernares. lumen enim mentis illuſtrat victorias, & oculus perſpicax Ducis, ſol eſt exercitûs. XX.

Quo optimè meo Ducis munere fungi queam. quodnam igitur eſt optimum munus Ducis? fidelitatis jura colere? quis te hîc unquam vel inimicus reprehendit? peritiam armorum nôſſe? quis à Tullio non didicit, felicitati conjungere prudentiam? quis alius ab heroum memoria tam valido nexu copulavit? juſtitiam moderari clementiâ? diſciplinam militarem, nec amicus contempſit; mititatem ipſe laudavit hoſtis. Sciviſti etiam, ſi ullus, vincendi laudem cum militibus ex æquo dividi, parcendi gloriam Ducibus integram reſervari. Adeſte igitur, qui deſideratis nomina magnorum Ducum. Licet vobis eſſe, quod tanto conatu quæritis, nullius ambitûs rei. M. Tillium cogitate. Si poteſtis eo vivendi pugnandíque modo veſtros proferre dies, arripite habenas belli, & imperate, poteſtis Martem ſcire, neſcire conjugem Martis? pauca de vobis dicere, multa cum laude dicenda facere? poteſtis togam honeſta pace, ſagum inclytis virtutibus nobilitare? poteſtis denique in conviviis ſobrii, in hilari XXI.

M. Tillius belli Dux omnibus numeris abſolutus.

Digitized by Google

XVIII. PRO INFINITARUM PROPE ANIMARUM, NE ÆTERNÙM PEREANT, CONSERVATIONE. Quas verò iterum hîc pugnandi cauſſas adfers? num quis loricam induit noſtro ævo, inſurrexit in haſtam? ſub galea ſudavit, ut errantem animam cælo tranſcriberet? Virorum iſtud opus eſt, quos peculiaris Dei gratia ſubmovit à caſtris & turbis. milites in arma ruant: duces conſilijs bellicísque eventibus glorientur. non deerunt, qui ſanctiores curas invadent, mentésque proſtitutas ſuo Conditori reſtituent. Sed hoc mihi non ſatis eſt, inquis: videam tot millia cum oppidis in Tartarum ruere, & ruinam non fulciam? ſpectem flammatum ab hæretica Lerna graſſari incendium, & aquam ſanguinémque non effundam? Quin & mihi proximi mei cura mandata eſt. O excelſa mens! O ſupra mortalium conditionem provecta! laudo propoſitum, miror inventum, gratulor effectum. mirabuntur & alij; ſed alij fors non imitabuntur.

XIX. DIGNERIS ADESSE. Utique: tam caſtæ preces, tam fortis animus, quid non impetrent? Julius olim de fortuna conqueſtus fuit, vota ſubſequente: tua vota Deus quandoque antevertit, aliquoties periculis implicari nexibúsque dolosis permiſit, ut efficaciùs deinde eluceret auxilium. plerumque tamen valida celerique manu adeſſe dignatus eſt: tibi venti, nubes, que militârunt; tibi conjuratus æther exhibuit ſtella-

rum

rum deprœliantes exercitus, & in nubibus ardentes lanceas, crinita ſidera minitatus eſt hoſti.

Lumenque largiri. Ut ne te malignæ conſiliorum tenebræ obfuſcarent; ut dolos hoſtium occultos eruere poſſes: ut technis fraudibúsque diſpulſis, ſecuriùs certaturam aciem gubernares. lumen enim mentis illuſtrat victorias, & oculus perſpicax Ducis, ſol eſt exercitûs. XX.

Quo optimè meo Ducis munere fungi queam. quodnam igitur eſt optimum munus Ducis? fidelitatis jura colere? quis te hîc unquam vel inimicus reprehendit? peritiam armorum nôſſe? quis à Tillio non didicit, felicitati conjungere prudentiam? quis alius ab heroum memoria tam valido nexu copulavit? juſtitiam moderari clementiâ? diſciplinam militarem, nec amicus contempſit; mititatem ipſe laudavit hoſtis. Sciviſti etiam, ſi ullus, vincendi laudem cum militibus ex æquo dividi, parcendi gloriam Ducibus integram reſervari. Adeſte igitur, qui deſideratis nomina magnorum Ducum. Licet vobis eſſe, quod tanto conatu quæritis, nullius ambitûs rei. M. Tillium cogitate. Si poteſtis eo vivendi pugnandíque modo veſtros proferre dies, arripite habenas belli, & imperate, poteſtis Martem ſcire, neſcire conjugem Martis? pauca de vobis dicere, multa cum laude dicenda facere? poteſtis togam honeſta pace, ſagum inclytis virtutibus nobilitare? poteſtis denique in conviviis ſobrii, in hilari XXI.

M. Tillius belli Dux omnibus numeris abſolutus.

lari

lari licentia caſti, in tectis periculis cauti, in atrocibus bellis pii, in mediis victoriis ſupplices, ita generoſum animum aſſuefacere, ut, cùm in terris militet, in cælo triumphum quærat? neminem irritet, omnes coërceat? nullum provocet, omnes vincat? hæc ſi poteſtis, iterum invito, arripite belli habenas, & imperate. Sed nimirum paucis datum eſt, ita regnare, ut pœniteat, ſeriùs regnâſſe. vix ulli conſummatæ virtutis laudem conſequuntur. Invenias fortaſſe aliquem, qui vaginâ liberat gladium; ſed onerat animum metu. ille felix eſt in prœliis; ſed obſoleſcit in pace. hic Reipub. ſtudiis utiliter occupatur; ſed bellicis minùs valet. ille litibus invidiæ ſuperbiæque occludit animum; ſed vagis cupiditatibus aperit pectus. Nullus ex integro beatus: ſinguli deficiunt in optima parte. & quando feliciſſimi ſunt, fortunam accuſare ſuam non verentur. Tuam, O M. Tilly! capaciſſimam mentem implevit collecta virtus, & diffuſior in pluribus animis, in unius ſinum ſe redegit. fortis eras, & cautus: felix, & pius: laudamus juſtitiam, integritatem ſuſpicimus: benignitas liberalis in pauperes, amor in patriam, fidelitas in Cæſarem, Orbem implevit. Eant alij, & dubitent, te impleviſſe officium Ducis:

XXII. Digneris quoque etiam mihi gratiam dare. jam bis petiviſti, ſcilicet ad majoris Jani limina poſtésque tamdiu pulſas, donec obviam longo ordine exeant victoriæ:

Et

ET AUXILIUM. Tibi promiſſum, nobis optatum: Romano Imperio ſalutare. XXIII.

QUO, QUOD OPTIMUM FACTU, COGNOVERO ET JUDICAVERO. Pulchrius hoc, ô TILLY! quàm ſi Principum aures turpi adulatione diſtringeres. quippe laudabilius eſt, ad æterni Numinis decreta ſe conformare, quàm mortalibus Dynaſtis in ſcelere tractabile obſequium offerre. XXIV.

ID REIPSA FELICI SEMPER EVENTU PRÆSTEM. Nullius ſpem fefelliſti: nulla ſpes te fallet. conſervâſti omnes: ab omnibus tui memoria conſervabitur. nemo pro Victoria votum fecit, quin alterum pro Victore adderet. Jam quod gaudium, quæ ſpes, quàm dulcis ſolicitudo levavit animos Catholicorum, tuo præſidio ſe devoventium? inſtar ſalutaris aſtri ab omnibus invocabaris: quibus videbantur bella geſta, ſi promittebas gerenda: & credebaris viciſſe, ſi certi erant, te pugnâſſe. Vehantur ergo licèt alij quadrigis; & liburno, lecticáque, aut pulvinaribus, ſuper capita ſuſpicientis Romæ portentur: te geſta bella, te pulcherrimum agmen triumphorum, te vota Chriſtianorum, te ſalus urbium, te pax alma Germaniæ, te os populi ſuper ſidera vehet. XXV.

VICTORIAMQUE NUNQUAM NON AD SEMPITERNAM NOMINIS TUI GLORIAM DE HOSTIBUS REFERAM. In tam propinquo tibi ſcopo, qui ipſe Deus eſt, tam certo pondere libratam ſagittam deſtinans, quî aberrare poſſes? XXVI.

NE-

XXVII. Neque enim mihi, sed tibi Regi sæculorum immortali. A regio Davide hoc didiciſti? an à belli-coſo Gedeone? ab utroque, opinor, utriuſque virtutem æmulatus.

XXVIII. A quo cuncta bona procedunt. Bona naturæ, quibus effloruiſti: bona gratiæ, quæ data cumulâſti: bona gloriæ, quibus te frui optant ſinguli, ſperamus univerſi.

XXIX. Soli honorem et gloriam. Quia ſolus diſpenſat victrices teſſeras, ſolus inclinat vel erigit acies. ſolus extollit vel deprimit Aquilas: ſolus Leonum iras vel oſtenſo ſpeculo exacuit, vel fumosâ tedâ reddit imbelles. Deinde soli. non tuis viribus lacertisque, non fortunæ, non caſui, non fato. Soli Deo. abeſte dedecora Romanorum capitum! abeſte impij, qui clamatis, ad Rubiconem: Jacta est alea: in mari: Securus esto nauta, Deum vehis. Quæ voces illæ? Dij mei in parietibus pendent. Et iste capulus adorabitur. Nisi reddat, sentiet hujus vaginæ numen strictissimo jure puniens. Hæ manus aliquid habent, quod Superi formidant. Quanta igitur res est, rotare cælos in orbem? circumagat Jupiter sua sidera: et ego in vultu mea; uter gravius, judicent hostes. Si tonare Jovis est: pridem in hereditatem successi, et fulminare scio. Ab hoc ense pendulus

orbis

ORBIS TREPIDAT, NUTÚMQUE NOSTRUM VERETUR. QUOD VINCO, MIHI HOC DEBEO. CREDITOREM, QUI A ME DISTINCTUS SIT, NON ADMITTO. Vah portenta monſtrifica prodigiorum! abeſte funerales Latij larvæ! Chriſtianos Duces voco, & obteſtor, ut immortalitatis ſuæ ſegetem non negligant: ut ſapientiſſimi Herois exemplo, excubias laboréſque ſuos in compendium mittant, Regíque Regum conſecrent.

Ex victoriis. quas Tillius de Tillio reportavit: quas ſui victor, de victis hoſtibus. XXX.

Quas dederis: Benigna manu, copioſo proventu, amore paterno. Ceterùm habet hoc omnis gratia, ſublimiori Numinis favore, ut, cùm illabitur humanæ menti, eam comitantibus auxiliis, ad ardua quæque peragenda confirmet atque promoveat. XXXI.

Huc deveneram, voluptate ſemetipſam conſolantis eloquentiæ abreptus. & maluiſſem per totam orationem eodem tractu decurrere: ſed reluctantem etiam inſolita ſoporis vis, ſudo die oppreſſit: ſive medicatâ virgâ percuſſerit oculos; ſive florido papavere permulſerit Somnus: violentiam certè ſenſi vulgari ſuavitate majorem, cui reſiſtere irruenti, nec ſi quis velit, poſſit; nec ſi quis poſſit, debeat. Vix obdormij; cœpi etiam ſpeculationes poëticas pati, eruditis intereſſe choris, aſſuetæ voluptatis illecebras facundo miſcentibus numero. Neque memini, tam copioſum Numen in noſtris unquam ſpiraviſſe præcordiis, vi- *Occaſio Parentalia Tilliana videndi, & ſcribendi.*

G debar

debar mihi Cumas delatus ad religioſam rupem, inhorreſcere ſacris oraculis, & animoſos verſus lugubri cum majeſtate evolvere. Spectabam Deas aliquot clari nominis, aſſuetudine gemendi non ingratas, ipſóque ſqualore formoſas, Funus complecti. ipſe admirandi doloris atrocitatem obſtupeſcebam: neque intelligere poteram, quale funus iis lamentis, tam illuſtres Deæ dignarentur. cùm ſubitò mihi vox allapſa non aliter inſonuit, quàm vocale ſolet aurum, percuſſum à plectro inter canoras rupes reſonare.

M. Tillij laus excedit mortalium facundiam.

Mortaline putas numeroſam poſſe referri
TILLIADEM lingua: cùm vix ſperârit Homerus
Iliadem finire ſuam? diffide caducis
Viribus, & noſtro caput oráque mergere fonte.
Tunc ego poſſeſſum celer & graviore tumultu
Deſcendam in pectus, doctiſque caloribus acrem
Exagitabo animum, totos in murmura montes
Concutiens & aquas. Noſtrum, quæ gloria prima eſt,
TILLIVS armipotens Numen vultúmque meretur.
Ergo Ducis tanti clara in præconia flumen
Derivabo ſacrum: ſublimiùs hinniet ales
Pegaſus, & totis ſpumabunt carmina ripis.
Tu ſuccinge animum, magnámque admitte Dei vim:
Nunquam aliàs tantus venio. præconia noſtra
Digere, & ingenti torque cava nubila verſu.

Allevavi me: & quoniam nondum digeſſeram conceptum Numen, ut in verſus irruerem; fluentibus de plano verbis, ac ſoluta periodo gratias egi, tactáque cithara reverentem obedientiam promiſi: daturum me

me operam, ut neutrum pœniteret conceſſi acceptique doni. Si me non humili ſpiritu dignaretur, id M. Tillio in acceptis laturum. ſi admitterer ad illud nobile doloris arcanum, & plùs quàm Eleuſinum ſacrum; magno animo eos queſtus auditurum, numeriſque & metris cùm heroicis tum elegiacis, ſi imperet, vincturum eſſe. Sic effatus decutio ſoporem, & mentem aſpectabili poëſi exuo. Poſt Phœbo ad amœnitatem invitante, deſcendo in hortum; ibique inter arbores levi zephyro perſtrictas obambulo, variis cogitationibus animum diſtendens. Quænam illæ ſunt ergo tam divinæ præficæ? an Tillium lugebunt & Superi? an & illis leſſus placet? num triſtes odæ delectant Choragos ætheris? ſed ubi, & quando videbo; ſomnio novo præcinctus? an oculo vigilante? ſolus admittar ad hæc ſecreta Numinum meorum? an alij mecum? Sed qui? equidem ut video, ambitio eſt, mortuo Tillio adgemiſcere poſſe. quàm delicatæ ſint querelæ oportet, quas Dearum miſcebunt ſuſpiria? At enim quis iſte vir erit, quem vidi ſummo in dolore formidabilem, ipſúmque Jovem & Parcas increpantem, quòd Tillium ſibi unicè charum ſuſtuliſſent?

Dum in his sum, redit Alphonſus ad me, comitatus milite, vultu fronteque non ignobile decus præferente. Salutatione perfunctus, an evigilâsſē, quæſivit. Niſi tu verò credas, Alphonſe, reſpondi, dormientem

adhuc, à ratione nihil alienum tecum loqui poſſe. Ar-riſit ille, & ſtrictiſſimis oculis oberrans vultum: nem-pe Poëtæ, ait, dum ſomniant, non loquuntur? imò canunt etiam, eòque argutiùs, quò plus ſoporiferæ thymbræ comederint. fatere: implevit te Numinis facundi ſacer impetus. ſtrictura inſolentior faciei, genæ mutatæ, rubor igneus, indicant habitantē Deum: gratulor tibi. Senſi me deprehenſum: & in ipſius quoque vultum proijciens curioſum lumen: fortaſſe, dixi, & tibi aliquid Apollinis ingeſtum eſt: videris enim, æquè colorem mutâſſe. fortaſſe, inquit. Fare age: quando fruemur tragicæ voluptatis ſpectaculo? (obſtupui) potéſne Divas, quas videbimus, ſuo quamq; nomine compellare? O te meum! ſubjeci: habuiſti, Alphonſe, benignæ noctis eruditum cum facillimo Deo commercium: Macte! in communionem magnifici luctûs vocamur ambo. Sis felix, ſis noſter, ſis Tillianus, & junge manum. ibimus, quo ſacer impetus abripiet. Ille: actutum.

Sed tu quæso priùs gratificare meo cognato Symphoriano. Belga eſt, quemadmodum vultus dat. ſub M. Tillio diu meruit, & primum pilum duxit. elapſo anno poſtquam exuſta Parthenopolis in cinerem ſubſedit, ſpolijs opulentus, conceſſit in Belgium, inde Gallias petiturus. Sed præpeditis vijs, variiſque tumultibus regno concuſſo, molitus in Bojariam iter, heri ad me Ingolſtadium ſub cœnam venit.

Cùm-

Digitized by Google

Cúmque illi M. Tillij funus narrarem, vehementer ingemuit. petit autem à me obſidionem Ingolſtadienſem Romano ſtylo deſcriptam, transmiſſurus in Belgium, ad avunculum Lucemburgi commorantem. Si non abnuas, næ tu novo beneficio, neque vulgari vetera cumulaveris. & ſcito, quanquam miles ſit, politioris litteraturæ non expertem eſſe: verbis adhibe fidem: antequam bello animum accommodavit, non indocilem dedicaverat Muſis. Parentum generoſo ſanguine ſatus, celeriùs cogebatur applicare ſe Marti: jámque tria luſtra Italis Germanísque bellis impendit. Ego brevi reſpondi: annotâſſe me quidem aliqua ſcitu digniora omiſſis offucijs, quas vulgus & libido credendi in teneris mentibus plauſibili rumore facit: qui ceteroqui non ſoleam imprimentibus ſtilis ac tabellis obfirmare memoriam. multò minùs in grandi palimpſeſto Livianas decades arare, poſteritati in litterarum ſulcis neſcio quam meſſem oblaturus: in hanc, falcem mittere ſeverioris judicij homines, & quos tetrica diſtringit ſcribendorum annalium cura. me certò certiùs à Phœbo plectendum, ſi ſtudio famæ tumultuoſa prœlia conſignaturus, nobiliorem canendi gloriam poſtponerem. verùm quidquid congeſſerim, jure ſuo amicum ab amico petere poſſe: ſentire me primum laboris mei fructum, cùm alteri hac opella feciſſe dicar bene. id tantùm videri cavendum: ut ne propterea obſidionem hanc, cum arctiſſimis maxi- Obſidio Ingoſtadienſis.

procul à ponte, quem brachium Danubij ſubterluit:) in dumetis rubisque abſconditos, ab opere foſſæ curſoriæ remorantur, aut carpunt. Provecta nocte hoſtis duobus locis urbem invadit: quem adeſſe exploſa Ficus (tormenti genus) in turri D. Virginis ſignum dedit. portam Danubij ſtrenuè tum defendit Cæſariana legio, ducente Böckio, Legato Comitis à Sulz ad Bambergam occiſi. Pontem navalem curârunt Maximilianus Rodulphus Saxo-Lauenburgicus, mille equitum Ductor, & pedeſtris Legio Comitis à Rittperg. tantâ autem furiâ uterque locus pulſatus eſt, ut magni Duces teſtati ſint, contumaciorem hoſtium incurſum ſe in nulla obſidione ſuſtinuiſſe. deficiebat jam pulvis nitratus, glandésque: & majora tormenta, præſertim ex propugnaculo arcis aſſiduò diſploſa, nunquam ad nativum frigus redierant. Krazio, Heroi Tilliano, laudi datum eſt, quòd ſclopum proximo militi ereptum in ſubeuntes Suecos exoneraverit; ſic non tantùm boni imperatoris, ſed etiam militis officium executus. quatuor ex noſtris deſiderati, trecenti ex hoſtibus; capti aliquot: quorum unus nobilis à Lebenſtein: SI PROXIMUM MIHI, dixit, EQUITEM CEPISSETIS, REGEM HABERETIS IN VINCULIS. Certè fama eſt, eum, ut animos adderet, ingentibus promiſſis lectiſſimorum militum aures imbuiſſe, atque ad ipſum vallum effuſa habena penetrantem, enſe immerſo dixiſſe: HUCUSQUE CONNITENDUM EST. quo viſo

hoſtes

Digitized by Google

hoſtes (ut proni erant, omnia in bonum omen rapere) cuncta ſibi in expedito fore rati, tam feroces impetus, quanquam fruſtra, conſumpsêre.

Pridie Kal. Maij viſi ſunt hoſtes ad nova molimina animum manúsque adijcere : munimentum ad furcas exaggerare : è ſilvula proxima trabes convehere : ruſticos foſſores magnis laboribus invitos ſudantésque diſtinere. Neque etiam noſtri feriati, interim frequenti verberatione machinas exercuere. is, qui Ficum curat, à peritia factísque ſtragibus non illaudatus. Alius extemporale congiarium navatæ operæ accepit, quòd Suecum aliquem minaciter campos obequitantem, variáque ſemper & negotioſa imperia mutantem, ita dextrè peremiſſet, ut trunco in terram dejecto, equus jam rectore liber, non ſine multorum riſu in caſtra profugerit.

Hoc eodem die, ſupremum obijt M. Tillius in domo Nobilis & Clariſſimi D. Arnoldi Rath V. J. D. Vixit annos tres & ſeptuaginta : militavit quinquaginta quinque. Cadaver pollinctum, balſamóque & optimis liquoribus repletum, in ſtannèo cippo aſſervatur ſub crypta Templi S. Crucis, apud RR. PP. Societatis JESU.

Altera die obſidionis Ingolſtadij obiit M. Tillius.

Calendis Maij Sereniſſimus Elector, ubi intellexit, Guſtavũ Horn cum magna exercitûs parte properare Ratisbonam : ne auxiliis Cæſareis intercluderetur, hoſtíq; via pateret in Auſtriam; prior illuc pervenire

H con-

méque diuturnis imperitè comparemus: quales ſuſtinuerint Breda Silváque Ducis in Belgio, Rupella in Galliis, Javarinum & Alba regalis in Hungaria, Vienna in Auſtria. eum tamen à veritate non abludere, qui dicat, Ingolſtadij Suecum peſſimè habitum eſſe. Deinde ad Symphorianum converſus, interrogavi, qua laude dignum putaret illum Ducem: QUI JAM ANIMAM TRAHENS, NON DESINERET CONSULERE MILITIBUS SUIS, SED SPIRITU IN VOCEM COLLECTO, POSTQUAM HOSTEM AUDIVISSET PROPUGNACULUM OBTINERE, CLAMARET: DEPELLITE, PROTURBATE, EXTRUDITE: NOCET, PRIMIS INSULTIBUS CESSISSE. Symphorianus arguto riſu quæſtionem commendans, Tillianum aliquid memoras, reſpondit: noſco ex ungue. dignum igitur hoc ſeu facinus ſeu dictum ea laude cenſeo, qua cetera TILLIJ facinora & facta, hoc eſt, immortali. Potuit ille læſus dicere, quod olim Septimius Severus: cui cùm ad gubernacula admoto exprobraretur vulnus læſi pedis, damnatis identidem ingeſſit: Intelligite nunc fatui, caput, non pedes imperare. placuit ſcita mihi reſponſio. Sed quæ TILLIJ fama eſt in Belgio? ille, maxima ſubjecit: quæ tamen nec Ambroſio Spinolæ nec Comiti Mauritio ambitioſa videri poſſit. neque enim talium Ducum delectum eſſe judico. in caſtris, ubi Superi voluerint, labentibus ſæculis apparebit quandoque unus. Ita te Marſpiter ſuis donet armis, Symphoriane! digniore compendio non poteras laudare M.

M. Tillij moribundi dictum de Sueco repellendo.

TILLIUM

Digitized by Google

Tilliuм. Quid verò dicet Belgium, ubi audiverit extinctum? Nullus, inquit, dubito, quin ſummum honorem habitura ſit funeri popularis natio, mortuíque virtutem magnificentiùs adhuc, ut amat fieri, poſt fata laudatura. Tunc ego: Alphonſe, veritas te amat. etenim Symphorianus tuus, niſi caſtra ſequi mallet, poterat eruditorum conſortio frui. ſimul his Commentarios meos pervolante calamo conſcriptos tradidi, qui ita ſe habuêre.

Tertio Kal. Maij, cùm ſuborto die Suecicorum equitum aliquot turmæ Ingolſtadienſem agrum oberrarent, præluſuræ nocturnæ oppugnationi; Serenissimus Elector Maximilianus muralibus tormentis palabundos ſubmoveri mandavit. Ipſe auſpicium felix daturus, in aggere ad Danubium porrecto conſtitit: &, quod Superi bene vertant, Ego primus salutabo Suecum, dixit, & metallum exoneravit. exin aliis exploſis hoſtes in infamem Carnificis domum ſalicetis ſuburbanis tectam compulſi ſunt, paſſim equis ſine ſeſſore vagantibus. A prandio peractis levi Marte velitationibus, Sueci patibulum occupant, ex terreo ſuggeſtu muróque incincto eminens: ad tumuli margines curulia tormenta (minorum gentium) ſola tamen manu attracta diſponunt, ijs operas in vallo laborantes petituri. Interea Noſtri prorumpentes infeſto curſu Suecos ex aggere Carolino (fuit is Caroli V. temporibus excitatus non Obſidio Ingolſtad: in ephemerides digeſta.

procùl

meque diuturnis imperitè comparemus: quales ſuſtinuerint Breda Silváque Ducis in Belgio, Rupella in Galliis, Javarinum & Alba regalis in Hungaria, Vienna in Auſtria. eum tamen à veritate non abludere, qui dicat, Ingolſtadij Suecum peſſimè habitum eſſe. Deinde ad Symphorianum converſus, interrogavi, qua laude dignum putaret illum Ducem: QUI JAM ANIMAM TRAHENS, NON DESINERET CONSULERE MILITIBUS SUIS, SED SPIRITU IN VOCEM COLLECTO, POSTQUAM HOSTEM AUDIVISSET PROPUGNACULUM OBTINERE, CLAMARET: DEPELLITE, PROTURBATE, EXTRUDITE: NOCET, PRIMIS INSULTIBUS CESSISSE. Symphorianus arguto riſu quæſtionem commendans, Tillianum aliquid memoras, reſpondit: noſco ex ungue. dignum igitur hoc ſeu facinus ſeu dictum ea laude cenſeo, qua cetera TILLIJ facinora & facta, hoc eſt, immortali. Potuit ille læſus dicere, quod olim Septimius Severus: cui cùm ad gubernacula admoto exprobraretur vulnus læſi pedis, damnatis identidem ingeſſit: Intelligite nunc fatui, caput, non pedes imperare. placuit ſcita mihi reſponſio. Sed quæ TILLIJ fama eſt in Belgio? ille, maxima ſubjecit: quæ tamen nec Ambroſio Spinolæ nec Comiti Mauritio ambitioſa videri poſſit. neque enim talium Ducum delectum eſſe judico. in caſtris, ubi Superi voluerint, labentibus ſæculis apparebit quandoque unus. Ita te Marſpiter ſuis donet armis, Symphoriane! digniore compendio non poteras laudare M.

M. Tillij moribundi dictum de Sueco repellendo.

TILLIUM

TILLIUM. Quid verò dicet Belgium, ubi audiverit extinctum? Nullus, inquit, dubito, quin ſummum honorem habitura ſit funeri popularis natio, mortuique virtutem magnificentiùs adhuc, ut amat fieri, poſt fata laudatura. Tunc ego: Alphonſe, veritas te amat. etenim Symphorianus tuus, niſi caſtra ſequi mallet, poterat eruditorum conſortio frui. ſimul his Commentarios meos pervolante calamo conſcriptos tradidi, qui ita ſe habuêre.

Tertio Kal. Maij, cùm ſuborto die Suecicorum equitum aliquot turmæ Ingolſtadienſem agrum oberrarent, præluſuræ nocturnæ oppugnationi; SERENISSIMUS ELECTOR MAXIMILIANUS muralibus tormentis palabundos ſubmoveri mandavit. Ipſe auſpicium felix daturus, in aggere ad Danubium porrecto conſtitit: &, QUOD SUPERI BENE VERTANT, EGO PRIMUS SALUTABO SUECUM, dixit, & metallum exoneravit. exin aliis exploſis hoſtes in infamem Carnificis domum ſalicetis ſuburbanis tectam compulſi ſunt, paſſim equis ſine ſeſſore vagantibus. A prandio peractis levi Marte velitationibus, Sueci patibulum occupant, ex terreo ſuggeſtu muróque incincto eminens: ad tumuli margines curulia tormenta (minorum gentium) ſola tamen manu attracta diſponunt, ijs operas in vallo laborantes petituri. Interea Noſtri prorumpentes infeſto curſu Suecos ex aggere Carolino (fuit is Caroli V. temporibus excitatus non Obſidio Ingolſtad: in ephemerides digeſta.

procul

procul à ponte, quem brachium Danubij ſubterluit:) in dumetis rubiſque abſconditos, ab opere foſſæ curſoriæ remorantur, aut carpunt. Provecta nocte hoſtis duobus locis urbem invadit: quem adeſſe exploſa Ficus (tormenti genus) in turri D. Virginis ſignum dedit. portam Danubij ſtrenuè tum defendit Cæſariana legio, ducente Böckio, Legato Comitis à Sulz ad Bambergam occiſi. Pontem navalem curârunt Maximilianus Rodulphus Saxo-Lauenburgicus, mille equitum Ductor, & pedeſtris Legio Comitis à Rittperg. tantâ autem furiâ uterque locus pulſatus eſt, ut magni Duces teſtati ſint, contumaciorem hoſtium incurſum ſe in nulla obſidione ſuſtinuiſſe. deficiebat jam pulvis nitratus, glandeſque: & majora tormenta, præſertim ex propugnaculo arcis aſſiduò diſploſa, nunquam ad nativum frigus redierant. Krazio, Heroi Tilliano, laudi datum eſt, quòd ſclopum proximo militi ereptum in ſubeuntes Suecos exoneraverit; ſic non tantùm boni imperatoris, ſed etiam militis officium executus. quatuor ex noſtris deſiderati, trecenti ex hoſtibus; capti aliquot: quorum unus nobilis à Lebenſtein: SI PROXIMUM MIHI, dixit, EQUITEM CEPISSETIS, REGEM HABERETIS IN VINCULIS. Certè fama eſt, eum, ut animos adderet, ingentibus promiſſis lectiſſimorum militum aures imbuiſſe, atque ad ipſum vallum effuſa habena penetrantem, enſe immerſo dixiſſe: HUCUSQUE CONNITENDUM EST. quo viſo

hoſtes

hoſtes (ut proni erant, omnia in bonum omen rapere) cuncta ſibi in expedito fore rati, tam feroces impetus, quanquam fruſtra, conſumpsêre.

Pridie Kal. Maij viſi ſunt hoſtes ad nova molimina animum manúſque adijcere : munimentum ad furcas exaggerare : è ſilvula proxima trabes convehere : ruſticos foſſores magnis laboribus invitos ſudantéſque diſtinere. Neque etiam noſtri feriati, interim frequenti verberatione machinas exercuere. is, qui Ficum curat, à peritia factiſque ſtragibus non illaudatus. Alius extemporale congiarium navatæ operæ accepit, quòd Suecum aliquem minaciter campos obequitantem, variáque ſemper & negotioſa imperia mutantem, ita dextrè peremiſſet, ut trunco in terram dejecto, equus jam rectore liber, non ſine multorum riſu in caſtra profugerit.

Hoc eodem die, ſupremum obijt M. Tillius in domo Nobilis & Clariſſimi D. Arnoldi Rath V. J. D. Vixit annos tres & ſeptuaginta : militavit quinquaginta quinque. Cadaver pollinctum, balſamóque & optimis liquoribus repletum, in ſtannèo cippo aſſervatur ſub crypta Templi S. Crucis, apud RR. PP. Societatis JESU. *Altera die obſidionis Ingolſtadij obiit M. Tillius.*

Calendis Maij Sereniſſimus Elector, ubi intellexit, Guſtavũ Horn cum magna exercitûs parte properare Ratisbonam : ne auxiliis Cæſareis intercluderetur, hoſtiq; via pateret in Auſtriam; prior illuc pervenire

H con-

contendit: atque actutum iter in pomeridianum tempus pronunciavit. Urbi firmum præſidium relictum, Illustrissimus Comes Wernerus de Tilly, Gubernator. quinque deinde Legiones, Ill. Ducum à Wall, à Wizleben, Contreras, Tribunorum Trabres & Parr: addita legio equeſtris Illuſtiſſ. D. München; cujus quinque turmas duxit Magiſter equitum Dominus ab Haslang. duæ præterea Croatarum turmæ ſub Illuſtriſſ. D. Jacobo Fuggero. Eodem die jam vergente, altera oppugnatio coorta eſt. de improviſo ex luſtro carnificis erupere ſex turmæ Hippocentaurorum (liceat ita nuncupare pedites in equo ſclopetarios: Sueci Tragones vocant) quindecim equitum cohortes auxiliares in inſidiis opperiebantur eventum. tanto autem furore turmalique ululatu noſtri invaſi ſunt, ut ij, qui in foſſis ſcrobibúsque abditi ſpeculabantur, hoſtilem impetum non ferentes, tametſi quindecim dejecerint, in vallum recipere ſe ſint coacti. machinatio & tota vis armorum ibat in navalem pontem: quo non reperto (is enim paullò antè ſolutus ſubductúsq; provido Gubernatoris Tillij conſilio fuerat) turpiter illuſi receſsêre. Ubi multò maximè memoranda virtus Croatarum: quorum tres turmæ ea ipſa primùm veſpera advenæ, quando Ingolſtadium à tam infeſto agmine oppugnari audiverunt; quanquam ex itinere defatigati, claſſico audito, plenis habenis, & ſtricto acinace minaces, apertâ portâ in campos effuſi, Suecos

eos inſecuti ſunt. ſed ij nimirum ſuos Tonſores (ita nominant) non ſuſtinuêre, ac ſi etiam hîc locum habeat illud Poëtarum figmentum, indicans morituros omnes, quibus deſtinatum certúmque crinem, ut olim Niſo Regi, fata dempſerint.

Temeritatem ſuam Guſtavus duobus præcipuè funeribus luiſſe dicitur. nam Marchionis Turlacij Senioris majori natu filio tormenti globus frontem cum ſummo vertice eripuit. alius quiſpiam Regem ſanguine contingens fœdè habitus, jámque veſtibus exemptis tumulatus. Num Saxo Winmarius fuerit, ambigitur. id certum eſt, Regem funeris hujus famam dolenter accepiſſe, confeſſum, SIBI HOC DIE COR TACTUM ESSE. Utriuſque cadaver æneator, admiſſus velatis oculis in urbem, petijt impetravítque. Pro Turlacio numeratum eſt argentum. altero Ductor unius turmæ à Neuhauſen redemptus. Neque verò tantùm more veſpillonum venerunt iſti buccinatores, exacturi cadavera: ſed etiam ipſam urbem conclamârunt extrema paſſuram, niſi ſe quàm primùm dederet. At enim multis verbis non implentur foſſæ; nec altis cogitationibus ſuperantur valla: manu, ferro, viris utendum erat: quibus proinde etiam fortiter, ac Tillianè reſpondit TILLIUS.

Cladem hinc colligas: quòd Sueci Boijs ficubus comedendis ſaturi, ſtrictis Ducum gladijs ad ſtationem vigiliarum conſervandam adigi debuerint, toto

corpore palpitantes. Accepimus, læſis militibus ſeptemdecim admodum, Neoburgi uno die à chirurgis pedes abſciſſos eſſe. Ingolſtadij quadringentis majoribus globis fulminatum eſt: qui plerique per arenoſam terram violentâ ſtrictûrâ graſſati, excuſſis quaquaverſum lapillis multam ſtragem edidêre. Obſervatum eſt, aliquot pilis tentoria diſpulſa dirutáque: uno quinquaginta milites miſerrimè ſimul afflictos exhalâſſe, fama tulit.

Sexto Nonas Maij ex utraque parte intercapedo quiésque ſucceſſit.

Quintum Nonas Maij Rex Guſtavus memorabilem fecit: qui Neoburgo redux ad ſuos, mox in equitabili planicie locorum indolem exploravit. dum in his eſt, ex arcis vallo tormentum accenditur. globus emiſſus clunes equi ex latere radens, ventrémque ingreſſus per armos exivit, & fruſtum oris frenum mandentis abſtulit. Rex in terram effunditur: ſed in alium mox equum impoſitus, evaſit. belluæ obtruncatæ detracta eſt pellis, quæ in modum viventis facta in rei memoriam aſſervatur.

Hac ipſa nocte Gubernator Illustrissimus Wernerus de Tilly duo mala granata (globos pulvere nitrato, ſecretíſque mortibus graves) ejaculatus eſt. primum in aëre, rupto ventre, diſſilijt: alterum in munimentum patibulo proximum incidens, flammato tractu ingentem clamorem excivit.

Quarto

Digitized by Google

Quarto Nonas Maij primo diluculo, urbs obſidione ſoluta eſt: ſeu terror ſeu ſtupor hoſtem invaſerit. ante lucem diſceſſit, ne vaſis quidē bene collectis: non ordine, non agminatim, ſed tumultuario curſu fugæ præbente ſpeciem. tympanorum denique inexſpectato ſonitu noſtri exciti, & incendio mapalium tectorúmque fumantium, exploſis tormentis fugientes proſecuti ſunt. Croatæ aliique in urbe milites, equo, qui cuique proximus fuit, curribus abjuncto raptim ablati, palantes Hippocentauros, quibus fugientis exercitûs Suecici tutela commiſſa fuit, vel carpſerunt, vel conſertis armis profligârunt, captos, occiſos. numerus cæſorum intra quingentos vix ſteterit. Qua ratione pugnandi adeò prævaluit Croatarum equitatus, ut vel eorum nomen auditum, vel adventus nunciatus, hoſtibus latè terrorem incuſſerit. prope propiùs ipſum Regem in Reichenhofen, pago Neoburgico, malè pranſum cepiſſent. qui ad epulum ſediſſe dicitur vultu mœſto oréque confuſo: ita ut mirarentur ab aula milites inſolitæ triſtitiæ cauſſam, contumáxque ſilentium: quod tandem in hæc verba rupit: Sentiet Ingolstadium: fortaſſe ideo, quia ultra duo millia in obſidione ex ſuis deſiderârit, hiſcens & deluſus. nos quatuor aut quinque milites. Magna in caſtris præda reperta: vinum, hordeum, panis, opes armorum, ſtannum, equi, ollæ, patinæ, utenſilium ingens numerus.

Digitized by Google

Parentalium M. Tillij, à Divis celebrandorum, exordium.

Symphoriano in hac obſidione magna cum voluptate commorante, Alphonſus me commonere cœpit temporis promiſſæque Tragœdiæ. Adverto, inquit, animum paulatim ferocire ætheriis caloribus: intrantis Dei manifeſta noto veſtigia: quod agimus, agamus: Symphorianum dimittam, ne retardet. Atqui ego: miſeret me cultiſſimæ indolis, & erecti ingenij. quàm cuperem illum tui cauſsâ, imò Tillij, exequiali Divarum Sacro intereſſe! Sed intempeſtiva nimirum hæc in te cupiditas ardet, ſubjecit Alphonſus. quid cruento militi cum tenerrimis Muſis? quid acuto gladio cum innocentibus ſtilis? Cave ne Apollinem offendamus, ſi profanum hominem admiſerimus in cæleſte hoc concilium. Fac admiſſus ſit bona Cynthij pace: num intelliget harmoniam doctiſſimarum mentium? num funebres numeros apprehendet, damnatus in humilitatem vulgi ſermonémque popularem? miles eſt, Martem colit. cur deſeruit placidiſſimæ frontis Deas? equidem propinquo ſanguine afficimur: ſed quî juvare poſſim in hujus ſpectaculi dignitate conſequenda, non video. Quid ſi autem arma deponeret, ſuggeſſi: & cultu amœniore pacis ornatus, mititatem indueret vatum? omnino Alphonſe: quando iſte honor Tillio bellatori habebitur, videndum potiùs, ut militiâ honoretur. Non neſcio, meliùs quidem nobis convenire cum quietis hominibus, diúque in Phocide & ſacra Delo nutritis.

atqui

Digitized by Google

atqui nec iſte turbulenti eſt animi, moribus comis, gratus, placidus, oculis non vulgare ſidus ſpirantibus, micante vultu, nec ſine umbra jam ſua. adde, ut tute faſſus es, Caſtaliâ Lymphâ quoque tinctum eſſe. quid? quòd gloria militaris non abludat à gloria vatum? utrique lauro coronantur: utriſque extemporalis furor in pretio, & arcanæ ſapientiæ vis in conſilio eſt. Sed Mars arma gerit: & Apollo, niſi fallor: cui quid unquam calidiùs fortiúsve gratulamur, quàm Pythona confixum arundine divina? Bellona vibrat haſtam: & Pallas. ut taceam formidabilem clypeum, Meduſæque faciem, & galeæ criſtatæ implacatum jubar. Denique quorum facta crebriùs canunt Poëtæ, quàm militum? Dixeram hæc in gratiam Symphoriani. Alphonſus: quando igitur tu hodie Caligatorum cauſſam militariter agis, inquit, periculo tuo fac, quod lubet. Non detrecto, reſpondi. & in Symphorianum intuens, an cuperet intereſſe: annuenti, quæ cavenda, quæque ſervanda eſſent, expoſui.

Leges obſervandæ ijs, qui parentalibus ſpectandis interſunt.

I. Ut in ſacrarium admiſſus, nullo tumultu concuteret religioſi luctûs decurſum ac modeſtiam.

II. Ut Divis loquentibus non interſereret profanum colloquium, ſed tantiſper linguâ faveret.

III. Ut, ſi ſermocinari vellet, quæ in rem viderentur, exſpectaret noſtrum exordium, eóque ſigno colligeret, poſſe verba miſceri.

IV.

IV. Ut, ſi dignandus eſſet fors ſpirantibus præſagijs, nullam in rem, præterquam in funebres M. Tillij laudes, heroicum ſpiritum prodigeret.

Ille omnia ſanctè promiſit: & mox depoſito gladio, ſi quæ alia vellemus imperare, promptum ſe eſſe, oſtendit. Ecce! dum in ſidera rotat ſublimes oculos, divinitate poëtica imbuitur, turbatur, pallet, canit.

Fortis Alexander, Cæſar celer, Hannibal acer,
Auguſtus felix: Omnia Tillius eſt.
Armipotens Tampier, ſtricto arduus enſe Serinus,
Bucquoyus prudens. Omnia Tillius eſt.

Ego ad Alphonſum: I nunc & remove Symphorianum: enimverò nos præceſſit. ſequamur: cordatis nunc opus eſt animis. Sic imus, & dum animi patens facundia ſe explicat, rapimur ad locum, quem ſive palatium, ſive fanum nominem, nihil erravero. In parietibus exquiſitè ſummóque ſtudio depicti videbantur triumphi coloribus ijs, quos non niſi cæleſtis concha temperare potuerit. Mons Albanus, ut adhuc Pragæ tabo rorabat hoſtili: Ut Moldavia denſatos inanéſque evolvit anhelis gurgitibus truncos. horti lugubris Stella, amiſſa luce, non tam nitebat facta ſtrage, quàm horridè vibrans fulgurabat. Turlacij Badenſis aliâ in parte promovebantur à furijs currus, opulenti maximis malis. quos inter confertiſſimum agmen, contuſis capitibus ſuam ferociam reſor-

Ingreſſus ad locum Parentaliū

ſorbens, terræ affligebatur. Hinc Halberſtadij videre erat caliginoſas acies, humóque applosas. Inde Cimbros conſpectu certorum ſiderum pavefactos, omniúmque tergis imminentes gladios. Parthenopolis in extremo angulo fumare viſa eſt. elucebant tamen grandes lacrimæ per flammam, ſed heu! tale buſtum non extincturæ. Alibi etiam Colonia, Antverpia, Mons Belicardus, Alba-regalis ad vivum exprimebantur. M. TILLIUS nunc pedes, nunc eques, jam extenta manu, jam ad capulum vergente, aſpectabilis ſuper cadavera ferebatur. Cetera locorum pulla veſte inſtructa, Majeſtatem inſolentis luctûs undique ingerebant. In medio pegma excitatum, atrato holoſerico inſigne, in vaſtum ſpatium decurrebat. accenſa funalia magno numero exarsêre; nobis in poëtica caligine nihil, niſi lumen, oculis eorum capacitati quodammodo dimenſum, cernentibus. In incinctu ſurrexêre volubiles ſcenæ, in quas contemplationem curioſam inijcientes fallebantur ſtato obtutu. Fallebant etiam ipſi ſolerter poſiti receſſus, decreſcentibus radijs. nobiliore pegmatis loco torus ingens ſub caſtrenſi tentorio exſtructus Cataphractum exhibuit M. TILLIJ Funus, eo apparatu, qui Heroëm decet. Enſis ad manum: Leo ad pedes: Aquila ad caput. Decemvirorum ſemidei manes chalybe ahenóque ſquamei, ſuis quique ſedibus, venerabili corona ſtipaverant tumbam. Interea nos invadebat horror

ror aliquis religioſiſſimus: ac perquam inſolitæ voluptatis formidoloſa imagine delectabamur. Sed neque faciem, neque nomina cognôſſe poteramus: iisque ſemper immoti, funebre elogium inſertum orichalco hujusmodi prætulerunt.

I. Agamemnones tranſiêre.
II. Nemo huc uſque.
III. Octavi gloria.
IV. M. T. G. P. I. I. R.
V. Venerabitur iſtum.
VI. Tubam exſpectat.
VII. At non ut quondam.
VIII. Nunquam alter erit.
IX. Huic galeas ſubſternite.
X. Gladius invidendus.

Bojariæ, ſeu primæ in doloris arcanum ingreſſæ Deæ affectus, habitúsque & inceſſus.

Legimus hæc, diu multúmque dubitantes, quo ſenſu ſe quodlibet elogium evolveret. Quæſierat ex me Symphorianus de ſingulis. At ecce! dum reſponſiones paro, inſonuit ſcenæ limen, & cortinâ retractâ, theatro pedem impoſuit Matrona ſupra mortalem ſtatum ex inceſſu viſa. vultu illo, quem regia calamitas habet, innocentem & torvum: honeſtiſſima quidem ſpecie à natura præditum; ſed dolore luctúque repentino admodum confuſum: genæ pallentes: oculi ab affectibus varijs obſeſſi, ſtellisque in uva lucentibus necquicquam conſentientes. quanquam ipſa

ipſa aſperitas commendabat dolentem. Excelluit in toto vultu, & in celerrimo crebróque dejectu palpebrarum ſignum concitati animi, & ab amore ſingulari trepidantis divina quædam vis. quàm potui argutiſſimè juxtà ac velociſſimè ſevocavi in mentem conſpectas unquam ſpecies: & quæ & quàlis, & quanto cum affectu? inquiebam. Sciſcitabatur etiam ex me cauſam Symphorianus hujus tam atrocis ex tot perturbationibus mixturæ. quippe nunc vaticinanti ſimilis ſtetit, nunc in ira pallenti, mox in torpore languenti & otioſæ. brevi reſpondi: videri mihi hunc affectuum torrentem fluere ex amoris alveo: qui ſi nimius ſit, obice tamen quodam præpeditus, latè, ubi poteſt, reſtagnat, & ex pectore ſanguinem convaſante emergit, vultúmque mirè intertrahit atque variat: inde rubore igneſcere faciem & quaſi purpurâ convolvi non duraturâ. Nam ex ejuſdem amoris vi, quando poſſeſſum bonum vel timemus amittere, vel amiſimus, tremor conſurgit, ſanguinémque exhaurit: unde pallor. ſæpe uterque affectus alternat momenta, mutátque frontem, prout memoriam mentémque phantaſmata pulſaverint. Aliud Alphonſus mirabatur. id etiam, quod Dea calcat, pulli coloris eſt: & tamen hos gemitus edens, militarem ferociam adhuc ore, armis, veſtibus ſpirat. caſſis exornata flaventibus jubis fulgurat, & in apice criſtatum ſidus reſplendet: cerno renidentia ſimulacra in umbone: vi-

dentur in ære fluvij compreſſi mentito fluctu ſtridere: jam ipſa chlamys quantâ licentiâ undulat? in fimbrijs turgent ſpicæ : in ſinu leo textilis fictum rugit, nativæ hilaritatis, quæcunque tandem ſit, ac veterum triumphorum ſigna gerit. ſi tanta gemendi vel neceſſitas eſt, vel libido; atrata ingrederetur. Thraces lugent canditati; & Scytharum eſt, exultare in luctu. Dixerat. ac Dea ubi in animum ſevocavit apprehenſam cogitationem funeris, muſico ſuas querelas reſolvit gemitu, non aliam niſi ſe compellans: Eheu Bojaria! quid amiſiſti? ſtetit deinde fixis ad tumbam oculis immota, ſed obliqua tantùm, manibus in crucis figuram conſertis. nimbus ferocior ex oculis, & iræ ſuſpiriis mixtæ ab ore trudebantur. Hîc ego: agnoſcis, Alphonſe, errorem? habitum dolor parvus cur mutet? magnus quî poſſit? habet ille, mihi crede, triſte privilegium facilis excuſationis. quippe eo affectus animus, exercitata voluptate gemendi, tanquam attonitus occupatur; aliud cogitat nihil, nihil intendit. cæruleis inumbretur velleribus, an nebula candidiore, quid refert? modò fortiter doleat, jam ſatis habet. ſubinde nec verba invenit indiſertus dolor, mutúsque cum facundia confligit, neque ſinit eluctari natantem. potuit igitur Bojariam tam grande malum, támque ſubitum inundare, ut ejus memoria reliquarum rerum oblivia ſubvexerit. adde hac tempeſtate bellorum, eam militari modo lugere, & quo innocentia exa-

Qualis Dea ſit, agnoſcitur primùm.

exacerbata ſolet, hoc eſt, viriliter & vehementer. pacem cærimoniæ funebres decent: ingens dolor etiam inter tubas & tympana accenditur. Ita me differente, Diva jam ad uſque tumbæ marmor proceſſerat. ibi intra tertium veſtigium conſiſtens, quibus lamentis miſera fruebatur? quàm miro dolendi, ut ità dicam, artificio uſa eſt? primò terna geniculatione ſubmiſſa, ſiderum choragos & humanarum rerum Moderatorem magnificè adoravit, ſublatis manibus, invidendis precibus. deinde ſurgens ter circumivit, conſtante tamen vultu animoſa, & ingens aliquid auſuro. ſuſurrabat mihi Symphorianus in aurem: me hercule! nihil iſta quidem timet, neque luget amplius. videtur à Numine poſſeſſa, fatiſque turgida futuris, & magnarum rerum præſagiis laborare. divinitatis illam ſtimuli urgent, non mœroris. falleris, inquiebam, Symphoriane: aſpice in illam. nónne frons, quæ paullò antè porrectior comparebat, rurſum nubila, ſenſimque ſeverior retundit aſpicientes? madidorum luminum contriſtatur vibrantiâ, grandioribus veſtigiis obambulat: incipit toto corpore major eſſe. Ubi vidit TILLIUM ſuum pollinctum & ſitum: quandam, iterum in ſemetipſam converſa, dolori iracundiam miſcuit: nunc ferrum aſpectans; nunc magna vulnera lacrimabatur. terror aliquis inerat lacrimis; & quanquam mollior ſexus, propior tamen timeri, non aliter quàm leæna, mox infremuit. Nos taciti, gaudentes

an trepidi, grata certè, formidine percuſſi, opperiebamur exitum hujus rei. Ecce mitiſſimis iterum conceſſit gemitibus, nube frontis in pluviam reſoluta: dat aquas funeri: dat planctum auribus: dat tumbæ oſcula: manibúsque ad conflictum articulorum protruſis, fari cunctatur & vult. quo ipſo eloquentior nobis viſa eſt. Tandem triſtitiæ ſuperantis inchoatura concentum, illum oculis manibúsque & toto gubernans corporis ſitu, ſic ingemuit.

Bojaria exorditur M. TILLIJ Parentalia lugubri voce: narrátque triſtem caſum & mortem: omnémque Funeri honorem habet.

AT non ſperabam jam nunc, fortiſſime TILLY,
Te talem ſpectare Ducem. quæ vulnera cerno?
Quæ priùs admirer? quantùm ſe noſtra revolvit
Cum caſu fortuna tuo? mihi lapſus es uni.
(Et ſimul in lacrimas ibat) mihi mortuus uni.
Sentio ſupplicij pondus. ſunt omnia vera
Quæ per terrificas monſtrârunt ſomnia noctes.
Ingemui, & cauſſas gemitûs vix denique novi.
Vidi quadrupedem excuſſo ſeſſore per arva
Currere, & attonitam replere hinnitibus urbem.
Vidi inclinatis navem deſcendere proris
In medios fluctus, noto ſine Præſide puppis.
Annoſam quercum, quâ præterlabitur agros
Vnda Lyci, glebásque fluens & prata maritat,
Fulgentem vidi exuviis ſpoliisque gravatam
Bellorum, intorto caſam procumbere plumbo.

O TILLY!

O TILLY! ô noctem! mæſta ô præſagia noctis!
His quoque credidimus, tanquam fatalis imago
Iret in aſpectus, proſtratáque ſilva jaceret.
At qui ego te video. verùm quàm diſpare vultu!
Illa ubi mens, Martiſque color, frontiſque profunda
Conſilia, & magna cura, faciéſque ſeverâ
Lætitiâ ſplendens? ubi claſſica nobilis oris?
Cùm tu præ lituis reſonans, ad bella catervas
Hortabare truces: ubi nunc eſt TILLIUS ille,
Gallia quem coluit; Belga genuere feroces,
Hungarus obſtupuit, miles laudavit Iberus;
Commendant Itali, Cimber miratur & horret?
Agnoſco venerórque Ducem. Sic filius Afri
Hammonis jacuit Iuvenis Pellæus ad aram.
Sic & Pelides: juxtà Nereïa mater
Vda procelloſis undavit fletibus ora.
Apparet, quid amor, quid poſſit in omine ſomnus.
Augur eram funeſta mihi: ſine remige navim
Iam video. Sonipes errat Rectore ſolutus:
Et Dodonæa præſtantius arbore robur,
Ramorum nervos, & canitiem foliorum
Acclinavit humo, convulſo ſtipite lapſum.
Terra ingrata mihi! cur non majora cadenti
Auxilia & vires iterum inſtaurare dediſti?
TILLIVS Antæo melior, tamen Hercule contrà
Obluctante, ſolum quoties calcavit & herbam
Matris, in obſtantem ſurrexit fortior hoſtem.
Amphitryoniades inventi ignarus & artis
Riſit, & in media cœpit ſudare palæſtra.
Sed quid in antiqua devolvor ſæcula pugna?
Seriùs iſta gemo, fruſtráque accuſo negatam
Terra immitis opem: cur non ſubvenimus ipſæ?
In me omnes queſtus, in me lamenta redundant.

Cognati

Lycus fluvius, propter quem M. Tillius vulneratus

Cognati generoſa Lyci Dux flumina noſter
Cùm bello petijt: fortè is ſeductus in antro
Iura dabat Nymphis. hæ glauco cærula muſco
Stemmata texebant hilares. O cæca futuri
Pectora Nereidum, nec curis apta ſeveris!
Quin & certatim Genitorem rore marino
Ornabant: hæc ergo comas & tempus utrumque
Implevit violis, & arundine celſius oſtrum
Compoſuit rorante manu. connexuit illa
Vimineam chlamydem nodo, quem plurima miti
Contudit electro. dedit altera & altera nullo
Ordine jam ſertum, jam non ignobile cornu:
Tum patulam vitreis cinxerunt floribus urnam,
Vndarum tanto ſonitu; ut de turribus altis
Proſpiceret lepidas mirata Auguſta choreas.
Et niſi caviſſent matres, traxiſſet ad iſta
Gaudia Vindelicas Feſtum geniale puellas.
Cùm ſubitò naſcente die, dum nubilus aër
Fumat, & obſeſſum ſtipat contagia cælum:
Exoritur raucum murmur: Lycus omnis ab imo
Turbatis horreſcit aquis; liquidæq; Sorores
Diffugiunt: reſonant litui: furioſiùs inſtat
Succus, & in trepidis reboat grave buccina caſtris.
Arma, viri! ferte arma, viri! *Dux protinus ante*
Primos ingeminat: nunc ô fortiſſima quondam
Pectora, nunc iſtis tandem decet hoſtibus uti.

Bojaria ſolicita Tillij cauſsâ.

Ah! quoties monui. TILLY! thoraca ſagúmq;
Indue: tam ſubitis quid apertum caſibus offers
Pectus? inacceſſum tormenta accedere poſſunt.
Loricas alij tamen (atque hi quantula turba?)
Arripiunt, galeæq; jubis rutilantibus ardent.
Ille nihil. Nunquam phaleris ſum talibus, *inquit*,
Uſus, & his non eſt primùm violanda ſenectus.

Sic

Digitized by Google

Sic effatus, equum calcaribus urſit anhelum,
Vt pontem luſtret. Tremulo victoria nictu
Invitare Ducem viſa eſt, voluitque libenter
Opportuna capi, quando ſe TILLIVS illi
Oſtendit. verùm heu! cœptis ingentibus obſtat
Invidiæ labes, & vix Heroibus æqua
Fortuna. immugit paſſim tonitrale metallum
Glandibus excuſſis: & machina fulminat æris
Ipſosmet, (prô tela!) Ioves. dum ferrea ſævit
Tempeſtas: validè contorto tibia flagrat
Conteritúrque globo. læſo pede, currere bella
Quî poſſent? cecidêre animi, fugêre triumphi.

Læditur M. Tillius & mox acies languet.

Qualiter in campis ſi quando ad prælia tauri
Conveniunt; bellator ubi deceſſerit unus
Aut lacera fronte, aut pede, quo protrivit arenam
Sæpius; abſcedunt ex una parte juvenci;
Nec jam bella petunt, ſtrato ſeniore, ſed illum
Servantes abeunt cum terribili mugitu.
Haud aliter noſtro Ductore ex vulnere lapſo,
Saucia caſtra labant, & ſpes perit omnis in uno.
Illum omnes acies, ſilvæ, vada, flumina clamant.
Ille omnes acies, ſilvas, vada, flumina clamat,
Imperat, hortatur, rogat; ut navalia pontis
Invadant, vetitáſque vetent accedere ripas.
Omnia caſſa tamen: tellus dedit icta fragorem,
Guſtavóque vadum fluvius præbere coactus,
Debuit hoc luctu luxum penſare priorem.
Et nunc ſervitio manantia ſubdere colla,
Quæ viridi ſerpens nexu veſtivit arundo.

O Lyce, ſi quà fides ſupereſt tibi, curáque noſtri
Sanguinis, & nondum venêre oblivia: ſi te
Bojorum primævus amor, mixturáque fati
Tangit: in hac olim triſti turgentia fletu

Lumina, ploratis ubertim illabere lymphis.
Quid primò, quid deinde querar? mœrore cruento
Cingor & attonitam confundunt vulnera mentem.
Poſt aliquot ſoles alieno ex orbe reverſos
Extinctum decus eſt, extinctáque gloria belli.
Túque, ô, qua noſtros armas in bella leones,
Vrbs Ingolſtadium, *meruiſti cernere funus:*
Cernere? quin potiùs venerari poplite flexo.
Cælum laxatum eſt. quà ſe nitidiſſima Libra
Dividit, & radiis æquales ponderat horas:
Inter Virginea flaventia ſidera ſpicæ,
Rugitúmque feræ multo lucentis ab auro,
TILLIVS ad Superos tandem invitatus abivit,
Tempore quo gelidas Phœbus deſcendit in undas.

Exactis ſexdecim diebus moritur, ultima die Aprilis, media ſeptima, veſpere. annis vincens 55. vivens 73.

Antè tamen, quàm ſe bellator ſpiritus armis
Solvit, & egregij caſtrum mortale reliquit
Corporis; ad ſtantes dedit hæc oracula circùm:
O Numen, rerúmque ſalus divina mearum!
Sic me deſtituis? ſic Cæſaris arma, piaque
Squalorem Sponſæ, Romámque in rupe verendam?
At non deſtitues. *dixit, calúmque petivit.*
Signa dedit gladius: muri tremuêre ſupini:
Pallida lugubres ſtimulârunt lumina tedæ.
Atque inter ſeptem verſas dum plauſtra Triones,
Perdidit Arcturus jubar ex melioribus unum.

Voces ejus, paullò antequam deceſſit.

Non ſatis eſt. alios precor èxplorate meatus
Cælorum; ut tanti pateſiat cauſſa doloris.
Nulláne curſuras tardârunt ſidera nubes,
Sanguineis ſuffuſa notis? non claſſica nimbi
Pulsârunt? atque auſa ſoror concurrere fratri,
Prætulit ignivomo Pyroënti vecta juvencum?
Non haſtæ arſerunt celeres? nullúsne Cometa
Terribili fulgore minax, diriſque capillis

Por-

Porrectus, Martis vicinum polluit aſtrum?
Heu vereor! tamen ille jacet: quid mæſta vereris
Amplius? occubuit: non eſt revocandus ab axe.
Lamentis fruere; & laudem in ſolatia verte.
Inveniéntne manus dignas tua militis arma,

Arma M. Tillij

Enſis hic & thorax, ſquamaque & ahenea caſſis?
Et quiſquam audebit chalybémque haſtámque vetuſta
Relligione ſacram, dextrâ criſpare profanâ?
Quàm multum fama talis mors attulit orbi,
Quæ docuit potuiſſe mori; patriaq; ſaluti
Impendiſſe globum: qui nunc mirandus ad Aulas

Locus, ubi M. Tillius læſus, & globus,qui læſit, memorabilis.

Ivit, & in ſacris olim ſervabitur aris.
Illa tuo caſu tellus ſignata propinquas
Provocat & titulis cupit ambitioſa videri,
Alcidis ſuperans montem, vallémque Gradivi.
Hic ubi larga data eſt tanta tibi copia mortis:
Olim poſteritas dicet mirata, fuiſſe
Ingentem terra motum: quo flumen inerme
Torpuit, & preſſis ſiluerunt vocibus unda:
Quáque repercuſſis nutârunt turribus urbes.
Vive, vale, Tilly! ſeu nunc ſuper æthere luſtras

M. Tillius mortuus adhuc pugnat.

Deſertam contemptor humum, ridéſque ſeveras
Bellorum nugas, & picta crepundia tabo:
Seu ſuper Herculei vellus regale laboris
Magnanimaque jubam ſtella veſtigia profers;
Sive ſuper ſanctam volucrem demitteris orbi
Imperio Divûm, fortíque in pectore magni
Cæſaris, aut noſtri (precor) in Ducis, ore manúque
Bella gerente, ſedes: aſſueſce favere vocatus,
Nutricisque tua pius, & miſerere tuorum:
Inque feros fulmen, fulmen (potes) excute Suecos.
Non equidem refert, qua vi mortale cadaver

Virtus optimum cadaveris balſamum.

Diffluat, aut quando: multos ſervetur in annos

Funus adornatum, pretioſáque ſæcula tumbæ
Includant Arabes, immortaléſque Sabæi:
An, ſicut natura petit, livore pereſum
Terreſtri, primos iterum vertatur in ortus,
In cinerem cinis, ex elemento elementa recedant.
Digna tamen precio, meruit ſua balſama virtus.
Vnde tuus permulcet odor: venerabile funus
Cinnama diffundit, demeſſáque fragrat in illo
India, flaventem Cilicum bibit urna pruinam.
Huc, qui Tanariis Vates inſculpere ſaxis
Funebre carmen amas, ades ô, triſtique cupreſſu
Merge coronantem, madidus præcordia, laurum.
Scribe: ſed & gemitus veros imitare Poëta.
Epitaphiũ M. Tillij. Bojariæ florentis opes, vincentis honores,
Mœrentis lacrimas hæc contegit urna, Viator.
Ah! prolixa nimis, nec nobis apta videtur
Nænia, nec tanto ſatis exæquata dolori.
Non opus eſt, tumulo multis incidere longa
Nomina marmoreo, pompámque horrere ſuperbam.
Scribatur ſolùm paucis: HIC TILLIVS ILLE EST.

Finierat: & videbatur ſolatij plena, egeſto per verba dolore, redijſſe in vultum ſereniorem. poſtquam igitur ſe exporrexit animoſiùs, ter obivit iterum exequialem torum; & folia de cupreſſo inſternens, gladiúmque ad manus appenſum fortiſſimo oſculo premens, propter Leonis ſui ſtructuram in hemicyclo conſedit. Symphorianus jam olim avebat aliquid dicere: ſed datarum legum memor non audebat. Alphonſus prior interfatus, cùm vidiſſet Deam luctui ſuo feciſſe ſatis; nunc opinor, non prohibebimur

Digitized by Google

mur colloqui. Dij Boni! quanta affectuum mixtura! quàm mirabili cum doloris amoriſque lucta ſuo Tillio parentat Bojaria! quàm efflictim urſit gemitus! quàm nihil humile vocibus divinis miſcuit! neſcio an ſimile quid vel fabulæ fingant, vel hiſtoriæ memorent. potuitne calidiùs Antonium luxiſſe Cleopatra? Pompeium Cornelia? Lucia Auguſtum? Brutum Portia? ſed an non etiam Antonio melior fuit Tillius? Pompeio major? Auguſto felicior? fortior Bruto? Tot támque fidelibus obſequijs utique devincire debuit ſibi humaniſſimam aliàs naturâ ſuâ Deam. Dolet extinctum, quem vivum deſiderat: qui pugnavit pro omnibus, amari dignus eſt ab omnibus. Certè ſi perpetuum aliquid mortalitati indulgeretur, Tillius in paucis eam gloriam meruiſſet. Nunc cùm ſucciſo filo repetiverint illum Superi; næ ipſa ferrea ſit, ſi non ingemiſcat: & plùs quàm ferrea, addidit Symphorianus. quæ enim major militi exſpectanda laus eſt, quàm ut pro patria mortem oppetens, à Civibus honoretur? Alexander Macedo Lyſimachi vulnus ſuo diademate ligavit. Romani cæſorum Ducum lugentes funera, ſordidati, ſciſſóque capillamenti decore, exemptis aureis, ferreos geſtârunt annulos. an non Alani etiam, in hoſtem moturi, ſi iniquior caſus oppreſſerat Ducem, ad tuguria priùs ſua non reviſerunt, quàm glorioſo funeri, in campis ſuper exſtructum clypeis aggerem poſito, debitum honorem ha-

Funus iſtud veriſſimi luctûs honorem meretur.

habuiſſent? ipſius autem Ducis gladium humi defixum, auxiliaris inſtar Numinis ſupplicibus votis ſunt devenerati. atqui hæc barbari exempla præbuerunt: quid ad omnem humanitatem natis faciendum eſt? facta ſunt hæc barbaris: in TILLIO quæ exempla ſtatuemus? Illud memorabile, quod de Boldrino Panicacia produnt annales Anni octuageſimi ſecundi ſupra milleſimum trecenteſimum. Is enim ad invidiam uſque Bellonæ felix, Pontificij exercitûs Imperator, poſt mortem quoque ſuorum victoriis interfuit. Cadaver namque exſiccatum & annoſis liquoribus imbutum in feretro circumferebant. huic metabantur caſtra: huic figebant vexilla: huic tendebatur: ab illo tribuni expoſcebant teſſeram, & proſperis defuncti ſucceſſibus utebantur. Caperent Bojarij, caperent alij nunc TILLIJ ſui gladium in manus: peterent ab hac tumba conſilium: fortaſſe nec illi cum his malis conflictarentur; nec Balthicus furor diutius noſtris calamitatibus inſultaret. Quid autem exigis gladium, Symphoriano objeci: jam illum Auguſtiſſimus Imperator FERDINANDUS II. expetivit & habet.

Gladium M. Tillij expetivit Cæſar Ferdinandus. & opulentè manibus piis parentavit.

Erit, erit illud tempus, quo noſter iſte Dux, qui nunc quidem inter exempla ponitur, ſuccedentibus luſtris inter miracula referetur. quando inquirent poſteri, ubi pugnatum ſit, quibúſque annis: dicéntque Majores minoribus: *Hunc enſem ſtrinxit M. TILLIUS. hoc galero texit caput. hic thorax vulnerum memor, ſanguine inunda-*

undavit. hic haſtam fertur fixiſſe. hîc exclamavit: Bonus Deus nos juvit. hîc hoſti in faciem hæc verba torſit: Pro FERDINANDO & MAXIMILIANO. ſub hac arbore tabo ſudoréque madidus, hoſtem, fortunam, famem, ſitimque provocavit. iſto in loco frigora, nives, pluviáſque contempſit. illam anguſtiſſimam caſam maximus hoſpes implevit, & ad Capitolij celebrem famam erexit. Iterum de victoriis altera tuba inſonabit: *Hoc flumen Chriſtiani peſſimi equos equitéſque hauſit. Iſte campus Marathonios atque Æmathios ſuperat, ſtrage Georgij Badenſis ſacer factus. Ad iſtam arcem Danorum eliſa eſt ſuperbia. His in ruderibus contumax ſtetit Parthenopolis. Hîc demum* TILLIVS *cecidit.*

Apud poſteros in honore erunt omnia Tillij facta, bella, arma

Subit memoriam, quod heri primùm intellexi, Illuſtriſſimum Fridlandiæ Ducem, auditâ morte TILLIJ ingenti ſtupore defixum, tandem exclamâſſe: *At hic quidem parem non habet.* magno deinde mœrore afflictum manifeſta indicia oſtendiſſe ſinceriſſimi luctûs. Alphonſus peculiari me obiens viſu, túne credis, inquit, tam charum Auſtriæ fuiſſe TILLIUM, quàm fuerit Bojariæ? quippe ni? reſpondi. repoſuit ille: at hæc etiam CHARISSIMUM vocavit: dulciſſimum amicitiæ ſignum, illi conſuetum nomen dedit, à militari canitie venerandum, SENIS IOANNIS: ut cùm dixit: *qui vivit noſter Senex? Senem Ioannem ex me ſaluta. hodie accepi litteras à Sene Ioanne: Seni Ioanni hæc mittuntor.* putáſne Auſtriæ ad tantam familiaritatem initiatum fuiſſe TILLIUM? neſcio inquiebam. illud non ignoro, Auguſtiſſimum FERDINANDUM ponderâſſe conſilia hujus Ducis, altáque mente revolviſſe exantlatos pro Im-

Illuſtriſſimi Fridlandiæ Ducis dictum audita morte Tillij.

M. Tillius Senex Ioannes dictus.

Imperio Romano labores. Nunc tu ſolùm præſentis Deæ lacrimas aſpicis, queſtúsque exaudis. Si lugentem quoque videris Auſtriam, fors dices: vincit dolendo Bojariam. quòd enim iſta princeps huc venerit, non arguit majoris luctûs dignitatem. debebatur illi hæc prærogativa pluribus titulis: quia Nutrici, quia Dominæ: quia ſuo ambitu funus complectitur: quia nunquam illud dimiſſura eſt. Octingæ vet. in Tilliano ſacello ſepultus eſt. O ſi legiſſes epiſtolas, quas altera alteri Diva conſcripſit: utriuſque reciprocum amorem, mutuam benevolentiam, in Tillium ſolicitudinem & commiſerationis ingenuæ honeſtiſſima ſolatia mirareris. ij affectus elucent corde veritatis expreſſi: eæ familiarium querelarum deliciæ, quas non niſi Dearum affectare poſſit blanda argutia. Vix harum mentionem feci, cùm Alphonſus, & tu has tamdiu reconditas? imò heri, inquiebam, primùm transmiſſas. ſed communicabis? Hac quidem conditione; ut, quando proſcenia ſe moverint, iterum arrigamur intenti. Quid imperas aut cogis? inquit Symphorianus: rapimur ultrò, nec valemus excutere triſtis ſpectaculi voluptatem. Tunc ego: primam Epiſtolam ſcripſit Bojaria ad Auſtriam pridie Kal. Maij, ubi diligenter & facundè cavet, ne offenſam ſuæ Sororis incurrat; tanquam ſi ægrum Tillium neglexiſſet: gnara, quanto cum dolore ſenſura eſſet obitum tanti Ducis. hunc autem in modum ſe habet.

Cur Bojaria princeps exorſa ſit Parentalia?

Epiſtola Bojariæ ad Auſtriam.

En

ENſe vides ſcriptam, quæ venit epiſtola ferro
Cincta: ſuis nimiùm charta referta malis.
Ne rubras mirare notas: liquor abfuit ater;
Præbuit illius, ſanguinis unda, vicem.
Vaſculum id, unde latex calamis hauritur aduncis,
Caſſis erat: querno ex ſtipite menſa bipes.
Qualiacunque tamen tibi miſſa hæc littera portat,
Perlege: nam refert, te quoque ſcire, Soror.
TILLIVS in campo cecidit, graſſatur & inſtat
Suecus. habes ſummam: TILLIVS occubuit.
Me miſeram! cui non credis tam vera loquenti:
Et forſan dicis: fabula ſcripta mihi eſt.
Flebilis hiſtoria eſt: narrantibus, Auſtria, crede.
Mortuus ille tuus TILLIVS, ille meus.
Clauſi oculos Ingolſtadij, ſciſsóſque capillos
Sparſa, ſuper tumbam funeream jacui.
Ah! quod narro malum, mihimet vix credere poſſum:
Túne igitur, TILLY Dux animoſe, jaces?
Sic certè: ereptus nobis CHARISSIMVS. eheu!
Verus erat vates maxima Roma tuus.
Eſſe aliquid monitus & ſacra oracula, ſenſi;
Illa ſuperfuſo Numine plena natant.
Occidit ille igitur, qui fortunatus utrique
Sæpe triumphorum maxima cauſſa fuit.
An mihi ſuccenſes, quòd te iſto vulnere lædam?
Sum tamen hoc ipſo vulnere læſa priùs.
Fors etiam accuſas, ceu ſit neglectus, & ægrum
Foverit in terra nulla medela Ducem.
Sidera, veſtra fides! quidquam intermiſimus artis,
Sive Machaoniæ diſſimulanter opis?
Vt ſuper ille foret, pretium regale dediſſem,
Hos clypei rhombos, turrigeráſque comas.
Eſt Domus in plateam vergens, liméſque plateæ:
Legibus & Muſis eſt bene nota Domus.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE

Ipſum CONSILIVM, *docti meruêre penates,*
Nobile pro Domino nomen habere ſuo.
Propter eam ſacra Crucis eſt venerabile templum:
Indigenas novi, Cantabricáſque togas.
Imâ in parte domûs, quâ ſe formoſior hortus
Porrigit, & virides explicat arbor opes:
Infusúmque diem nitido bibit ore feneſtra,
Et plumbum intortum vitreus orbis habet.
Illâ in parte, duo conſtructa cubilia pandit
Liminis unius janua nexa trabe.
Non ibi lis ſævit, vulgíque inamabile murmur,
Non merx diſtrahitur, non Cereale merum.
Tympana nulla ſonant, nec adacta umbonibus arma,
Nulláque ſtridenti perſonat axe rota.
Sed tranquilla quies, & quâ ſapientia gaudet:
Sanáque purgatum ventilat aura locum.
TILLIVS *iſtorum jacuit curandus in uno:*
Crede mihi, in paucis mite Cubile fuit.
Credis & hoc? ſtetit ad dextram ſpectabilis Ara:
Non igitur potuit diſplicuiſſe Duci.
Atque ideo ſummam non aſſignavimus Arcem,
Vt ſopor hunc placidâ poſſet adire viâ.
Sique videretur fatis: neu noxius humor
Serperet, aut laſi flamma maligna pedis.
Teſtor ego Superos: ſed erit quoque teſtis & ipſe
TILLIVS, *imperio jam meliore potens:*
Grande (velim quæras) vulnus pedis ipſa ligavi:
Mitibus id ſuccis imbuit iſta manus.
O animum! quando ferro detraximus oſſa,
Nec ſignum gemitûs indiciúmve dedit.
Impavido vultu magni inſtrumenta doloris
Pertulit, & prima fronte remanſit honor.
Interea precibus votiſque moleſtior urſi:
Dic TILLY: *quibus hoc tempore rebus eges?*

Poſce:

Poſce: nihil potero, tua tota, negare petenti:
Sive manum medicam, pharmaca ſive petis.
Tu modò relliquias noli contemnere vitæ:
Pendet ab his Populi vita ſalúsque mei.
Sic ego: ſic ille: Æterno confido Parenti:
Non timeo, quidquid veſper & urna vehit.
Debuerim cùm ſæpe mori & decedere; non eſt
Improviſa mihi funeris hora mei.
Tot vici bellis, tot denique viximus annis:
Pars hujus poterat temporis eſſe ſatis.
Ergo vale, mæſtúmque Ducem ſolare: juvabo
Militiam pugnax oſſibus umbra meis.
Te quoque jam tenui moriturus voce vocavit,
Auſtria: & ô Cæſar, dixit, & Aula vale!
Mox animam efflavit. pudet, ah! pudet, edere queſtus;
Sed tamen hic triſtes, fundere cogor aquas.
Et manant oculi, lacrimiſque minacibus urunt
Invidiam, & dici gaudeo mæſta Parens.
Spectares utinam faciem ſcribentis & ora!
Turbaret viſum mæſta figura tuum.
Scribimus: & chari video dum funeris urnam,
Atroci fletu charta cruenta madet.
Scribimus: & ſtricto, quo triſtes utimur, enſe
Non tam litterulas, quàm grave vulnus aro.
Scribimus: & cædes inter funeſtáque bella,
Cogimur hoſtilis claſſica ferre tubæ.
Suecus adeſt; date tela viri: procurrite vallo:
Danubÿ radit littora. Suecus adeſt.
O qualis luctus, quem flebilis aſperat ira!
Neſcio quid magni mens animoſa parat.
Arma, viri! clamo: rapiuntur, & urbis ad arcem
Curritur, & primo pellitur hoſtis agro.
Stella bovis, Cornu, Lethum, Guſtavus, Adolphus, Bovis ſtella, Cornu, Lethũ, ſunt Duces Suecici.
Nomina ſunt Scythico barbara nónne ſono?

 Hi

Hi ſimul irruerant : & Rex violentior ipſo,
Cujus ſulcavit ſtagna profunda, mari.
Ille meas urbes, atque hac, quæ vertice porto,
Oppida convellit, dilaceràtque comas.
In me multa nimis mala juravêre : dolori
Magno ſufficeret pars numerúſque minor.
Olim credidimus tardum ſegnémque tyrannum:
Heu! nimiùm velox in mea damna fuit.
Danubius, dixi, priùs alto à fonte recurret,
Iſaráque & retrò verſum iter Oenus aget:
Illa ego quàm tali ſim deformanda ruinâ;
Aut tu, quam cunctis præfero, chara ſoror.
Iſara curre retrò, multúmque volubilis Oene,
Et jam Danubium neſciat Vlma ſuum.
Sentio turritos flamma populante capillos
Vri : formoſo defluit ore decor.
Iam nigra ſum : jam tu, ſi me videáſque notéſque
Ambuſtam, dices : ſiccíne turpis anus?
At ſcieras, pulchram paullò tamen antè puellam:
Nil jacto, & nitidam fronte fuiſſe bonâ.
Luna ſemel vacuos implevit lumine vultus:
Ex quo tam diris ſum violata modis.
Scit Deus, ut merui : neque enim meruiſſe negabo.
Invidia timui ſæpius antè malum.
Vici igitur profugum Fridericum, ut vincerer? útque
Corruerem, tanti Dux Fridericus erat?
Ille mea rurſus tamen eſt epulatus in aula:
Cúmque aliis habuit gaudia feſta Getis.
Antè tamen noſter Leo collabetur in armis:
Quàm ſtatuam tumido nubere capta proco.
Auſtria fida, cave : ſolet hic quoque multa minari
Cæſaris Imperio; nec minùs arte valet.
Vt pateat cupidis antiqua Tiberia votis,
Suecus agit remis, atque laborat equis.

Exſpe-

Exſpecta, Guſtave, viámque inſiſte remorde:
Quò cupis, huc remis non venies, nec equis.
Ipſa priùs patiar crudelem ſqualida mortem:
Et rapiet cinerem nobilis umbra ſuum.
Sic equidem. propera conjunctis Auſtria telis:
In lucro eſt, quidquid deſinit eſſe mora.

Secundùm hanc epiſtolam à me lectam, ab utriſque ſumma cum attentione atque lubentia auditam, Symphorianus Alphonſum arguere non dubitavit: ut qui priùs de amicitiæ Sacramento inter Auſtriam & Bojariam ambiguè pronunciâſſet. Alphonſus, non hîc hallucinabar, ait; ſed perſuadebam mihi, Bojariam ob ingentia merita devinctiorem Tillio eſſe, quàm quodvis aliud Regnum: quin tamen ab omnibus eximio amore coleretur, ambigere non habui: vin' tu autem nôſſe, quid me jucundiùs affecerit, audientem triſtes elegiæ numeros? dicam equidem ſincerè. niſi fallor, etiam in divinis rebus id obtinet, quod in humanis ſolet: nimirum feminas ut plurimùm eloquentiores eſſe viris, & Deas Dijs: quippe elegantior comíſque natura illarum linguas & calamos (imò hîc & gladios) ſolertiùs ſine labore acuere videatur. Agite, quàm facili metro Bojaria incluſit doloris ſui diſertiſſimas querelas? quàm aptè partem non omnino nullam cum Auſtria communicavit? primò hilariùs atque animoſiùs promovit ligatum pedem, ac ſi liber eſſet, ut ne Auſtria inopino eventu caſúvè terreretur. deinde ſenſim influxit, ídque ſignificando

cando ſtrenuè egit, quod minimè agere putabatur: ut malo patefacto ſolatium inſpergeret, petitura ſolatium. Non ita magni Dij loquuntur, aut ſcribunt. Jupiter tonat: Neptunus exundat: Mars excandeſcit in luctu. Si quando hos Apollo invadit, & fatidico pallore ſpirantes imbuit vultus; vix ſunt apud ſe, & medium tenere neſciunt. Verſus tunc perciti jaciunt; ut credas ad Evandri rupem priùs alliſos fuiſſe: non niſi turbidorum Carminum procellas ex temulenti ingenij euripo deſpumant. Dearum generoſa lucénsque vena, terſa argutáque indoles, facunda ſine criſpo eſt facundia, ut audivimus. cedò, an id ipſum de Auſtria mihi pollicear? De Auſtria? inquiebam. ut te Muſæ oderint, ſi ambigere pergas. enimverò hæc novem ſororibus aſſociari poſſit, & decima videri. In Auſtriacis Aulis humanitas, benevolentia, ſuavitas, familiares dicendi copiæ, manſuetior eloquentia habitat, & ſedem fixit. Reſcripſit autem Bojariæ Auſtria, ejúſque dolorem & vulnera, mitiſſimis adeóque accommodatis verborum fomentis leniit; ut penè tanti ſit, affligi velle, quò tam benigno merearis ſolatio mulceri. Ambo igitur perurgere me cœperunt, exhiberem etiam illius Scriptionis copiam; donec alius in Scenam veniret: interea ſibi gratius accidere nihil poſſe. neque difficilis eram. At enim vix depromo, obſecuturus curioſæ illorum cupidini: cùm jam tuba maligno ſonitu efferata, (ut rebamur, aëre cumu-

latiùs

atiùs intra æra compreſſo) jam ferrei incuſſorum enſium concentus ponè proſcenia audiuntur. Ereximus totis conchyliis audientiam. ecce, ingentis ſtaturæ vir, lacertis viriliter nodatis conſpicuus, in medium procurrit. magna vaginâ, magnus capulus. is ſtatim in horrendâ verba: nos, ut piſces, muti.

Mars exacerbatus vulnere funeréque ſibi chariſſimi, Jovi, Parciſque ſuum dolorem exprobrat, tam nobilem Ducem occumbere ſinentibus: narrat, ubi primùm hanc famam audiverit: Tilliique virtutes & mortem encomiis, magníque luctus ferociâ honorat.

Reddo tubas, reddo arma Iovi, currúsque cruentos,
Aurigámque & equos, clypeúmque, enſémq;, pharetrásq;,
Arcúsque, frameásque & tela & fulgura & haſtam,
Ferratásque acies, chalybémque, Aquilámque, facésque
Et jubar & galeam, criſtásque & calcar & iras
Reddo Iovi. Simul hic Mavors, quia feſſus anhelo
Gurgite verborum, quem deſpumaverat, ingens
Subſtitit: ac tandem plùs quàm ſuſpiria torſit
Ferrea, & à tonitru non expugnabile murmur:
An verò gratis belliqùe precarius auctor
Fungus ero? vultúmque iterum contorſit in axem,
Tam nimis horrendum plangens, quàm flebile ridens.
Qualiter Hannibali capta Carthaginis ignis
Spectanti ridere dedit. mala gaudia vulgus
Damnabat: quamvis illo ferale cachinno
Nil fuerit magis aut miſerum, viſúque moleſtum.
Pulcher ego Mars ſum. video, mea jura coluntur,
Scilicet, & noſtris ſubmittitur enſibus orbis.

Sic

Sic fatus, capulum tetigit galeámque minaci
Verbere. criſpati nutarunt culmina coni
Fortiùs, & mota moverunt fulgura criſtæ.
Depictique truces juvenes, & ab arte minores
Ingenti graviter tremuêre in caſſide Martes.
Pergit deinde ferox: quid enim? mihi plectra deinceps
Femineámque colum, vel ſiſtra bicornia poſcam:
Quando tuba lituique nihil, nil claſſica proſunt.
Quid ni cum Phrygio celebrem trieterida ſexu
Inſanus, Bacchóque madens? (an & iſte Gradivo
Præſtat?) & incenſa (dimittam ſpicula) pinu
Per thyaſos fugiam temulentáque ſanguine prata?
Si modò venarum furiâ flagrante ſuperbus
Quiſque mihi addictos, cupiat qui ſternere, poſſit:
Dilectóſque Duces armis violare profanis
Audeat, & mœſtis confundere cædibus omen.
Quid me opus in bello eſt? qui diſpenſare furores
Officium Martis. *Debeo, ne peccent: & quæ truncanda vel enſe*
Corpora, vel plumbo, noſtris ſignare lacertis.
Nam mihi ſorte datum, gentes turbare quietas;
Ne luxu pereant, & in otia diffluat Orbis.
Atque ubi concurrunt, ac belli cornua miſcent,
Cui mihi cunque placet, largiri poſſe triumphum,
Eſt mihi ſorte datum. mea ſunt hæc jura, nec alter
Eſſe poteſt conſors, quamvis ſe poplite natum,
Vel cerebro magni Patris, veterúmve Deorum
Progeniem jactet, diſcóque arcúque minacem.
Et tamen (indignans magno pallebat hiatu,
Et torvum ridens inter lamenta fremebat.)
Et tamen indecores, dicam, imbellésne? videmur.
Audent terrigenæ (Superis ignoſcere poſſem,)
Audet veſanus miles, me abſente, ferire:
Quo mihi non ullus fuerat devinctior armis.
Alter ego *fuerat. nobis communia ſigna,*

Com-

Communes clypei ardebant. penè unus & idem
Enſis, & ingentes, ſed non ſine Numine, curæ.
Ibam per Batavos, pridem mihi debita regna M. Tillius Marti commendatus.
Inviſens, artéſque novas virtutis & iræ
Monſtrabam Heſperiis contra: ſed.
Neſcio quod fatum.
Heu furor! ut mentes violento concipis igne,
Et cerebrum vaſtas! Mars eſt oblitus id ipſum,
Quod voluit paullò antè loqui: luctatur in ira,
Dum latrat phantaſma ferox, & pergere neſcit:
Ni defæcato nova mens reſplendeat ortu.
Tunc iterum primis repetit faſtidia verbis.
Ibam per Batavos, & ſcitu digna, nec uſu
Deteriora, meis referens miracula belli
Heſperiis, docui, quî poſſint protinus urbes
Expugnare: levi conſternere ſubere foſſas:
Atque ita munitum ſicco pede tangere vallum:
Quî ſorbere lacus, immenſáque flumina ſaltu
Traijcere: ingenti ſtantes in turribus umbræ
Terrere excubias, immanſuetóque ſopore
Figere cuſtodes, quî frangere mœnia, & uſto
Murorum emotas radices vellere fundo,
Sulphureos torquere globos: hi pulvere fœti,
Poſtquam longinquo tractu per tecta volârunt,
Excuſſas vibrant mortes, ducibúſque minantur.
Quippe recens illos me compingente marito
Belli uterus peperit: quo non jactantius ullum
Inventum memini, dum ſum tibi Belga Deus Mars.
Iámque Ducis ſilvam, Bredanáque rura relinquens
Ad Bojos molibar iter, mea caſtra meóſque
Luſtraturus equos, vexilláque fixa Leonis.
Ecce pererrantis campos, ripáſque vomentis
Prælia Danubij, quà vaſto proijcit alvêo,
Tillius à Sueco narratur milite vulnus

Accepiſſe ingens. Fremui, ingemuique fremendo.
Ipſi etiam, Domini motus, ſubitúmque timorem,
Turbatáſque comas, trepidi ſensêre jugales.
Pronum erat, aſſenſum dictis dare. barbarus hoſtis
Succeſsúque tumens, alter mortalis, ego abſens.
Sed cur deſtitui? cur non comitatus euntem
Adjuvi? potui vincentem ſemper ad uſque
Wimpffenam Pragámque ſequi, rapidúmque Viſurgim.
Et jam. ſed luet ille nocens: qui vulneris auctor:
Occidet, inque mea Suecus mactabitur ara.
Dixit, & ad ſacram contorſit lumina tumbam.
Húncne tibi mortis titulum, hæc ego gaudia belli,
Hoc donativum Frater tibi magne paravi?
Hæc merces Ductoris erat? ſic prælia penſo?
Geſtatóſque diu cinctus, chlamydémque verendi
Imperij, & ſparſos magnis ſudoribus armos?
Non alium ſimilem mihi ſum miratus in ira.
Virtus bellica M. Tillium Marti commendavit. *Non alium caſſis magis & mea tela decebant.*
Non alius noſtrum ſtrinxit violentiùs enſem.
Non alium noſter ſonipes portâſſet, & axis.
Non alius noſtram potuit vibrare ſariſſam.
Non alius valuit contundere fortiùs hoſtem.
Non alter citiùs perfringere noverat urbes.
Non alius quiſquam meliùs tormenta rotavit.
Non alius meruit nova nomina digniùs illo.
Sed, nunc Magne jaces TILLI, *ferrique nitore*
Contuſo, non hæc, quæ quondam, gloria fulget.
Fallimur: en! facies armati funeris iſta,
Ceu vivat ſublimis adhuc, ſpirétque, potenti
In lumen terrore ruit, gratéque ſevero
Fulgurat aſpectu, mentémque ferociter implet
Manibus. elucet ſancta virtutis imago
Nobilis, & pulcher ſpatioſi vulneris horror.
Dixit, & à ſacra detorſit lumina tumba,

Voci-

Vociferans iterum. At non impunitus abibis,
Quiſquis es, ô! qui me temerâſti hoc vulnere magno.
Vindicta in promptu (digito plaudente ſeverum
Concrepuit, caſúque nivem Scythicámque pruinam
Excuſſit:) nondum hæc, nondum mea dextera prorſus
Viluit, aut illà contortum haſtile reſedit
Segne ſuper terras; vel inanes ibit in auras
Vulneribus nullis, nulláque opulentius umbra.
Iuro equidem, nec longa mora eſt. Dedit oſcula ferro
Nudato, & ſolis juravit nutibus, abſque
Verborum ſtrepitu, magnorum more Deorum.
Dixit, & ad ſacram contorſit lumina tumbam.

Incredibile dictu eſt, quàm tragica voluptate reverenda Martis feritas nos percuſſerit. & Symphorianus: atqui hic non molles elegos gemit: unde unde tandem impleverit ſe. certè ex Hebro & Rhodopæis nivibus non ſuxit hos verſus. Alphonſus, intelligo, inquit, Apollinis cum Marte commercium. non equidem ille Marti, ſed Tillio gratificatur: cujus in laudes quemlibet diſertum faciat. Quàm Superis dilectus hic eſt Heros, cujus obſequijs favent naturæ cæleſtes! deinde & ipſe facundè profuſus (erat enim ſtrenuè excitatus vehementi genio carminis) cœpit extemporalis fieri Panegyriſta M. Tillij. O Anime! qui nunc à tot bellicoſis animis deſideraris, tot triumphis inclyte, tantis virtutum miraculis inſignite! quis tuum, etiam totis eloquentiæ fluminibus manans, prædicare ſatis poſſit encomium? colimus hunc aut illum fontem, ſecretúmque numen habere putamus;

Laudes M. Tillij ex arduis factis derivatæ congeruntur

quòd tanta cum utilitate regionum, nobili meatu ſuas aquas derivet. Veneramur hanc ſilvam, ſi vetuſta, ſi opaca, ſi arborum ſæcularium longævo complexu umbram efficiat: metúmque cujuſdam quaſi divinitatis prætereuntes exercemus. Tillius, à quo tot ſanguinolenti quidem, utiles tamen victoriarum amnes dimanârunt, irrigandis Germaniæ agris, pérque campos & urbium ſpatia non ſine ſonitu diffuſi: talem, inquam, fontem non venerabimur? non colemus hanc ſilvam? quæ tribus & ſeptuaginta annis incana ſtetit, & hoſtium exuviis, in ramis hinc inde pendentibus, glorioſa. omnino hæc ſilva brachia habuit, verósque pedes & verticem. eheu! radicem evertit plumbea ſecuris, ceciditque Tillius, & ingens procubuit in terram. cecidit, dico? imò ſurrexit fortior. vixit? imò vivit: apud Superos, ut ſpes eſt; in hominum pectoribus, ut ſcimus; in poſteritatis ſecuturæ memoria, ut meretur, vivet & delebitur nunquam.

Queruli nos ſumus & imbelles, ſi tam ſacram mortem non æſtimamus. abſit, ut, quod de Severo Cæſare dictum eſt, laudatiſſimo quidem, *illum aut nunquam debuiſſe mori, aut nunquam naſci*, ego de M. Tillio dicam. ſic enim naſci debuit, ex pulcherrima fortiſſimorum virorum proſapia: ſic mori, pulcherrima fortiſſimi viri morte. magnum videretur, ſi dicerem: bene mortuus eſt. at ego etiam dico, glorioſè. vulneris ingens decus ad tumulum, ſed nunquam tumulan-

Digitized by Google

mulandum, ipſe ſecum tulit. *Nullius Ducis umbra longior ſit poſt Victoriam*, inquit aliquis. eſto: umbra tamen Tillij nobilior facta eſt poſt mortem. *Triumphi ſub finem vitæ deſinunt.* eſto, mortales, & quibus cælum non eſt quæſitum: Tillij triumphus longè celebrior ſub finem vitæ inchoatus eſt. *Et fama ſepelitur* eſto, inertium: Tillij fama, dum bellum & arma erunt, cum ipſis armis increbreſcet. Huc huc illi, qui gloriam quærunt: & ex ejus contemptu diſcant adipiſci, quam aſpernari debent. M. Tillio nihil in orbe placuit, niſi quod cum æternitate conjunctum erat. hanc poſſidet: neque ideo fluentia cum tempore ornamenta perdidit, ſi rectè ratiocinamur: Tillius non amiſit vitam; ſed illum vita amiſit, quæſitura ſub marmore, ſi naturæ leges permitterent. Omnes perluſtrent hujus Ducis exactam conformatámque Dei nutibus vitam. Omnibus cum laude patere poteſt: velut illa domus Livij Druſi, quam ita exſtrui volebat ab architecto, ut à cunctis prætereuntibus Populóque Romano univerſo ſemper inſpici poſſet. Defuncti Tillij vitam ſpeculentur curioſæ mentes, oculíque hujus mundi: nihil occludimus, nihil tegimus, ne conſilia quidem; quæ tamen vivus frementi hoſti ſecretiſſimè velaverat. Eloquere fama: nihil interdicimus. Dic, M. Tillium quinquaginta quinque annis cum laude militâſſe. evulga iſtud: vitam eum ſemper duxiſſe caſtiſſimam; manè noctúq; diu multúmque,

totis ſæpenumero diebus, ad Deum calidiſſimas fudiſſe preces. Iræ, timori, triſtitiæ, vano gaudio, ceteriſque cupiditatibus nunquam indulſiſſe: ſemper ſobrium erectúmque vivido rationis uſu appetitionem ſenſuum temperâſſe: &, quod palmarium eſt, palmámque meretur, M. Tillium tot annorum labores, laborum varietatem, varietatis conſilia, conſiliorum bella, bellorum eventus, eventuum victorias, victoriarum fructus (ô torquem omnibus ſpoliis pretioſiorem!) ſoli Chriſto ejúsque Sponſæ, totis affectibus conſecrâſſe. I, fama, omnes pennas explica, & confitere, quod res eſt. Symphoriane: ſi talibus auſpiciis tu militiam ſequaris, non eſt, quod verearis ambiguæ famæ tumultus, aut caliginem ſecuturæ mortis. inclareſcit armata virtus, & ferro non obtunditur, ſed acuitur. Plurimi Duces interiêre his bellis. ah! quoties arbitraris adgemuiſſe Martem? quàm paucorum funera dolentiùs ſenſit! Occumbenti Tillio immugijt quodammodo, & ſeveritatem triſtis ferociæ donavit charo ſibi funeri. Sed meruit ille nempe has exequias, ſuíſque laudibus quaſi vivus intereſt. Age! quem comparemus huic bellatori? ego arbitror aliquem laudari poſſe, ſi dicatur, Tillio ſaltem poſtponi poſſe. maturitatem ſpirant illius facta; & aliqua geſſit, quæ ſi poſteritas imitari velit, non poſſit: & aliqua, quæ ſi imitari poſſit, non velit: denique aliqua, quæ imitari velit & poſſit, tamen non niſi poſt

Tillium

Tillium velit, poſt Tillium poſſit: quia Tillius præceſſit, Tillius oſtendit. Inter claſſica modeſtiſſimæ voces: nuſquam furor, & tamen ſevera ad corrigendum prudentia: non ſuperba fiducia, tamen animoſa ſpes: non aſper injuriis animus, efficax tamen ad omnia perurgenda, cui Duci convenire poſſunt, niſi Tillio? adde pura conſilia, & ex ſideribus quodammodo deciſa, cum Superis ipſis communicata: adde conſiliis ſupernatans magnúmq; judicium, conijciendi futuri ſagacitatem. quis alter hæc conjuncta ſibi vendicabit? cùm magnus eſſet, ad omnia obſequia deſcendit: cùm fortis, imbecilles adjuvit: cùm victor, parcere non dubitavit. Armatus ille contumáxque debuit eſſe, contra quem venit. nullius omiſſæ pugnæ ipſum piguit: nullius commiſſæ pœnituit: nullius victoriæ reportatæ puduit. finito bello ad pacis conſilia animum adjecit: non enim bella propter bella geſſit. pace turbata invocatus quàm nullo negotio ſeditioſa ingenia compeſcuit, iterúmque in ordinem redegit contumaces inimicos? ad hoc tantùm natus, ut diffunderet indolem ſuam, Orbíque exempla factis, non faciendis ſcriberet præcepta. Jam militares animos quàm ſcitè tractavit? captivos quàm ſanctè habuit? enſes fuſo hoſte quàm citò recondidit? quo ipſo meruiſſe mihi videtur hoc encomium, quo finiam. De Tillio omnibus eſt loquendum, ſi grati eſſe velint. omnibus tacendum, ſi pro dignitate loqui debeant.

Ego

Ego ad Alphonſum: ſi peroràſti jam, interpellabò te. nam Rhetorico ſpiritu tuas ſententias quadrantem, id non fuiſſem auſus. Age, aſpice nunc in Martem & obſerva; (quæ potiſſima mea cura fuit, Alphonſo cum Symphoriano loquente) advertis, quàm ægrè hujus Ducis ferat necem? Symphorianus: & veráne, inquit, æſtimanda eſt tumere facies irâ? Neque verò hoc, dixi. arbitror potiùs, concepti doloris ex amore atque reverentia, ſic expromere velle ſigna; ut intelligamus, quàm arduum amiſerimus Ducem. viden', ut ante funus inter cataphractos decemviros altiorem ſellam occupet vultu miſerabili, torvus & emicans? ut ſui Tillij faciem curioſo dolore perluſtret? ut ſubitò iterum manſueſcat, frontem ſolicitam dejectus, primæ feritatis oblitus? Adhuc in ore truncatum volvebam eloquium: ſurgebat ille ſtupentibus nobis, longè alius & truculentior quàm priùs, gloriâ magnæ commiſerationi maliſque mixtâ. haud unquam illa in facie fuit antea conſpectus. ſæpe neglectim barbam in pectus procumbentem abſque neceſſitate pervolans cum horrore explicabat. Oculi ſplendore lucentes igneo, patulæ nares, & ad arma proflantes. ſubinde tanquam ad Strymona pugnaturus excuſſiſſimo lacerto conſtitit, Tygride, quæ ferrugineâ obibat chlamydem, in tergus repulſa: deinde defatigatus, miſerùm ſuſpirans, ſe tumbæ acclinavit. jam acrior in concitata veſtigia, medium è vagina eduxit

Martij affectus ad tumbam Tillianam.

ferrum

Digitized by Google

ferrum; (ingentem arcum brachiis confecerat) ſtatímque ſecum aliquid obmurmurans repoſuit. Species erat erupturi impetûs vi caloris in cædem: ſed mutato mox vultu (vidimus Martis lacrimas, nec pudet fateri) manibúsque ad oculos alliſis, iterum ſe in ſedem toto pondere projecit immovendus. ſimul his, triſti concentu theatrum perſonuit. Sex atrati bellatores prodeunt, inverſis haſtis formidabiles, panno temerè ſuper humeros & arma in diſſitum, ſumma cum negligentia, & datâ ad hunc mœrorem operâ, projecto. Apparebat ingens & exulceratus dolor in recluſa galea, de cujus faſtigio nigerrimæ criſtæ aureo fulgore collucentes pendebant. vix prodiverant: cùm capulis tactis, deinde omnes adoratum tumbæ marmor demiſſo oſculo libant: denique lituis, ad acerbitatem aurium uſque contuſis, inchoaverunt funereum chaos. Chorus.

N CHO-

CHORUS I.

Deflet tanti Herois mortem, mœſtóque militarium rituum luxu proſequitur funus: ad extremum hominis qualiſcunque tandem, brevem eſſe vitam, lugentibus ingerit.

Tibi Tilly, tibi noſtri decus avi,
Plangimus.
Tibi crines violatos, cinerémque
Spargimus.
Tibi mœſtam Cypariſſum ſuper urnam
Figimus.
Tibi ritu peregrino clypeos ad-
ſternimus.
Tibi peltas radiantes, galeáſque
Tradimus.
Bellicóque jure,
Perſicóque more.
In orbem euntes mortuo parentamus.
Tillium flemus.
Mortale genus miſerum, Parcis
Paret iniquis: licet haud vacuam
Humilémque colum tibi victuro
Superi dederint; ſed in excelſa
Pendeat haſta ſtamen honoris,
Et plena die nitido lana:
Ah ludibrium! nihil iſta juvant.
Rapiêre tamen: rapiêre brevi.
Ipſos etiam crede rudentes,
Vitaque brevis fila adamantina,
Si non forfex, plumbum lacerat.

Non

Non trigeſima trieteris abit,
Et jam tumulo propior marces.
Eheu! cecidit maximus Heros.
TILLIVM fleмus.
Coma demiſſa eſt: ſordida veſtis
Gemitum ſine clamore fatetur.
TILLIO quiſquis moriente nunquam
Vult mori, vitæ nimis eſt avarus:
Et cupit Parcas ſibi pejerare.
TILLIVM flemus.
Ponite faſtus tumidáſque minas,
Quos bella juvant, ſanguis inebriat.
TILLIVS mortis violenta ſenſit
Tela: nec nobis macilenta parcet
Oſſei Thracis manus & ſagitta.
TILLIVM flemus.
Quanti caſus humana rotant,
Nimis ambigua pondera lance!
Occidit belli decus & ſuperbæ
Lumen Europæ, lacrimáſque ſecum
Traxit in tumbam nimis affluentes.
TILLIVM flemus.
Fruſtra Hannibales, Carthago, canis:
Et Scipiadas vetus Alba duos.
Hunc & hos longè ſuperavit armis
TILLIVS noſter. tamen in ſepulcrum
Debuit labi reſoluta maſſa.
TILLIVM flemus.
Igitur mortis victima certa eſt,
Quicunque trahit vitale jubar.
Tu quidem pugnas hodie, tuóſque
Sternis in campo metuendus hoſtes:
Forſitan cras in tumulo jacebis.
TILLIVM flemus.

Digitized by Google

Noli fidere fragili vitæ:
Sed nec honores præpone Deo.
Fulgeant quamvis, oculósque blandis
Faſcinent gemmis: aliquando tandem
Deſinit ſplendor titubantis aulæ:
TILLIUM flemus.

Vita mortalium volubilis.

Alphonſus altiùs in animum documenta lugubria demiſerat. is veritatem modulatæ triſtitiæ examinans: prorſus, ita, inquit, ſe res habet. dum vivimus, jactamur ut pilæ, ſurſum deorſum. datatim fortuna nobiscum ludit, ſed nequiter. Quid ſplendidis nos maceramus miſeriis, anxiéque conquirimus titulos, quibus celebrem larvam exornemus? unum momentum componit omnia: unum momentum elidit utres inflatos honoribus: mox languent pulmones, nullo ampliùs aëre vanitatis irrigandi. unum denique momentum ipſius etiam voluptatis jugulum metit, ſternítque ſucceſſus ubertate tumentes. Miſeri! quid diſſimulamus id, quod MORI vocatur? moriendum eſt. & ignavi tantùm dubitant, quíque nullorum Ducum funera ſunt contemplati. ſequantur plebeij pedes talium veſtigia virorum: diſcant in urnam minui, molémque extenſam breviori ſpatio circumſcribere. nempe TILLIO à morte proſtrato, alius confidet armis à morte defenſuris? ne pugnare quidem bona conditione licet, iniquiore loco conſtitutis. cogimur enim in cinerem deſcendere, in arenam non permittimur.

Digitized by Google

mur. ipſa verò mors Andabatarum more provolat feritque ſecuriùs. Spectatores premant vertántque pollicem; haud curæ eſt. ſæpe & ipſis in faciem calvam impingit. perpetuò in hoc conflictu auditur illa vox: *Hoc habet. Iacet. Efferte in ſpoliarium.* Mundum ſic ſui manes exagitant: hæc conſtans inconſtantia eſt. aliud qui in eo quærit, exeat, & ſit, quod non eſt. Reptamus ad honorum gradus arduo paſſu, & multum auræ conſumimus ad uſque macram phtiſin profuſi, tuſsimque veterrimi ſæculi. ubi deinde ad apicem pervenimus, cum Siſyphi ſaxo iterum detrudimur. Oraculum dixit tuus, ô Roma! L. Septimius Severus: *Omnia fui, ſed nihil expedit*: bellator egregius, Imperator non infelix, potentiâ magnus, dignitate ſummus: *nihil expedivit.* habuit ille conviviorum volubiles menſas: bibit hilaritatis amœniſſima pocula: miniſtravit accumbenti Roma, infudítque optimæ notæ vina; vina fortaſſe Conſulum, quibus ad Trebiam pugnatum eſt: *ſed nihil expedivit.* ebrius hac fortuna, ebriorum more duas Romas, duos orbes vidit. ſenſit reſtare aliquid, quo capax repleri deberet animus cupiditatibus inæſtuans. Felicior Tillius noſter, qui arduam mentem ampliſſimo implevit Bono. de quo non immeritò dicere poſſimus: *Omnia ſua ſemper expedivit:* quia omnia, quæ fuit, expedivit ipſe in Numinis gloriam. Talibus indulgentem concionibus Alphonſum Symphorianus vellicans: Eja dic, Alphonſe, mihi

In orbe hoc nihil hominis animum explet.

Digitized by Google

hæc, an tibi? ſi tibi; tute bonus Orator es: quia nôſti audientiæ tuæ ſtomachum: quid in rem ſit, confers. ſi mihi; vide, ut me auditore non abutaris. credebat enim Symphorianus, hæc eo tantùm fine ingeri, ut perſpecta vanitate fluxarum rerum abdicaret ſe negotiis vulgi, animúmque ad melioris ſapientiæ ſtudia transferret. ídque ipſiſſimum volebat Alphonſus, non pœnitendo conſilio uſus: quali eundem antea in mea vota pertraxeram. Et Symphorianus quidem non abhorrebat à manſuetioris culturæ vita. ſed vir jam & bello deditus, gloriæque imminens, majori ſtimulo debebat impelli, ut ad contemptum mortalium rerum exardeſceret. quò fiebat, ut tardiùs explicaret ſe his nugis. Ego conſiliis cum Alphonſo communicatis, utriuſque altercationes ſcitè alui. ut ſimularem, me nunc cum Symphoriano facere; nunc ab Alphonſo ſtare. qua ratione id, quod intendimus, confectum eſt: & Symphorianus tandem manus dedit.

Auſtriæ ad parentalia venientis, facies, habitus, geſtus, affectus.

Interea nobis in hos ſermones devolutis, & nequicquam advertentibus Dearum greſſus, Auſtria ſcenam ſubiverat. Auſtriam eſſe, ſtirpis indicia multa, præſertim Corona & Aquila arguebant. tota facies emendatiſſima: oris pulcherrimum decus, nutus expoliti, naſus aquilinus, labia rubra & magna, dentes albi, genæ, quas ceruſſa ſtibiúmque dedecorâſſet: oculi naturâ ſuâ ad hilaritatem exacti, ſed nunc delicatioris triſtitiæ rore penè ad celebrem invidiam manan-

nan-

Digitized by Google

nantes. Si obliquabat latus, ſcintillabant ut ſtellæ quædam, cryſtallino humore, omni cryſtallo pellucidiùs promicante. Si porrectiori fronte totum vultum induliſit; quidam parvi ſoles ſuo quodam modo videbantur Oceano ablui. reliquus membrorum modus ita conformatus, ut, ſive quis Junonem, ſive Dianam vellet nominare, abſque ludibrij metu poſſet. Dignam omnino Deam, quæ meruerit ſuo FERDINANDO II. in manus convenire. ubi depoſito diademate, quod vibrantibus ardebat gemmis, laxavit impeditam comam; tantò ampliùs decuit, in argumentum ſignificandi mœroris, coronâ caput honeſtiſſimum ſpoliâſſe. defluebat igitur in humeros, ſine nodo, ipſo neglectu cultiſſima cæſaries. Quò propiùs tumbam venit, triſtior inconſtantibus oculis viſa, pietatem commiſerationis in ſpectantium ſenſibus commovit. adhæc, locutura cùm ſubitò deſiſteret, ſpiſſis ſingultibus intercepta verba reſorbens; augebat illa cunctatio dignitatem luctûs mirum in modum. Soluta doloris vinculo lingua, ſic effata eſt.

Auſtria

Auſtria commemorat amorem ſuum erga M. Tillium, omnia ornamenta laudum ſuis virtutibus meritum; quas pro varietate enumerat. Deinde etiam præſagiis omnibus ſe admonitam fuiſſe grandis mali, útque eventus dedit, huius funeris, antequam ex luctuoſis Boiariæ Sororis ſuæ literis illud diſceret.

SIc Superi voluiſtis. & Auſtria mœſta tot annis,
Hoc unum ſolamen habet. penetralia teſtor
Cæſaris, & ſancta capita intemerata volucris,
Me talem tantúmque Ducem, dum vita manebat,
Præ multis etiam meritò coluiſſe Dynaſtis;
Et nunc defunctum præclara munere vitæ
Semper amaturam: teſtor quoque, ſemper amâſſe.
Ceſſet vulgus iners querulo mala verba ſuſurro
Spargere, nec lites obſcuras turbida nectat
Suſpicio. nimiùm veri mihi cauſſa doloris,
Tilli flende, jaces. heu caſum & lugubre fatum!
Ex oculis ignes quondam, nunc exprimis undas.
(Largiter undabant oculi) nihil Auſtria triſtis
Diſſimulat. pace egregius clarúsque triumphis,
Caſta merebaris noſtra ſuſpiria flamma.
Allexit tua me virtus, aſſuetáque bellis
Dextera & integritas, vitæ melioris origo.
Frons, oculi, vultus, mores, vox, omnia magnum
Spiravêre Ducem: propter quæ culmen adeptum
Cæſareæ te ſummus honor devinxerat aulæ.
O! quoties dixit: MEVS INVICTISSIMVS: iſtum
Si modò fata virum nobis Superíque relinquant:
Imperio facili victos frenabimus hoſtes.
Sin rapiant: meriti Divûm lugebimus iram.
Contigit, ô Cæſar! tam triſtis ab omine fati

Præſagos

Præſagos valuiſſe metus. vix fama tremendum
Narravit caſum, centum ora & guttura centum
Pandens, continuò oppreſſit nos copia luctûs.
Audivi gemitus, miſerandáque verba Viennæ,
Mirantéſque necem Proceres, & ad æthera verſis
Vultibus, immites Parcas, immitia fata
Conqueſtos. vidi nocte obſervare ſerena,
Si quis ad interitum natus, per turbida paſſim
Aſtra vagaretur, barba pendente Cometes,
Heu! rarò magnis Ducibus ſine funere viſus.
Dein, quæ dictavit dolor, in præconia fuſi
Facundo luctu lamentabantur in urbe
Ille quidem divinum animum, nec rebus iniquis
Nec blandis unquam fractum laudavit: hic æquam
Temperiem morum, facilémque in mitia linguam
Reſponſa, & furias mulcentem militis ægri.
His pietas manſueta magis virtúſque placebat,
Quæ precibus lenit Numen, dotéſque beatas
Impetrat, ínque hoſtes armorum depluit imbres.
Iſte novas bellandi artes, magnúmque probavit
Ingenium Martiſque capax; nec inutile regnis
Conſilij pondus, libratáque verba bilance.
Hos contemptus honor ſumma ad faſtigia ducti
Detinuit, titulis ſtipata modeſtia magnis.
Hos nimis inſolitus caſti rigor ille pudoris,
Expers conjugij, ſine flamma, pectus in armis
Perculit attonitos, tanquam ad miracula ſtantes.
Denique ſinceram mentem, ſtudiúmque togatæ
Pacis in armato Duce mirabantur, & annos
Sudantes ſub tot galeis, attritáque ferro
Brachia. at extremum, bellorum gloria, vulnus
Omnibus incuſſit ſtimulos mœroris acerbi,
Et mixtos in amore metus, lacrimáſque feroces.
Illa tua ô quondam felix, ingloria nunquam

Motus Viennæ, cùm fama de M. Tillij morte perſonuit.

Enumeratio virtutum aliquarum M. Tillij.

Canities, ſacraque memor virtutis imago
Mentibus occurrens, ſic ibat TILLIVS, inquit.
Nulla igitur mortem hanc monſtrârunt prævia ſigna?
Nulla Hyperionios nubes conterruit ignes, — Prævia ſigna magnorum funerum.
Defædans ſpuriis fraterna vaporibus aſtra?
Nil queſta volucres? an nuſquam grandine nimbus
Sanguineo, tortiſque madens haſtilibus æther
Creſcentem pulſavit humum? non Æolus antro
Excidit, & Patrem venti ſprevêre rebelles?
Nuſquam Danubij mutata cruore procella
Præmonuit? Rhenóve ſuos vertente meatus,
Triſtes ſederunt ad inania littora Nymphæ?
Sunt aliquid motus animi: quos ſentio, mæſti
Ominis omen habent. credo hæc præludia mortis
Eveniſſe quidem, ſed nos non illa notâſſe:
Vt magis in præſens rapitur mens cæca futuri.
Hoc vel ego memini. Cùm primo Cynthia vere
Exereret medium cornu, nondum obvia fratri:
Tunc quoque dona ferens ſolennia Cæſaris, ibam
Ad magni STEPHANI ſupplex, certámque ſalutem
Oratura ſacri venerabar Martyris oſſa.
Ecce revertentem ſubitus nivis occupat imber,
Velleréque involvit: quod nec tu dicere poſſis
Purpureum, nec ego niveum. ſucceſſit apricus
Fulgor, ab aſpectu Phœbi mærentis anhelo
Lumine: ceu ſparſas acies & caſtra viderem
Nubibus in mediis, diráque ardentia flammâ,
Motáque contremeret tellus. ego turbine longo
Vadebam ventos inter turrita frementes.
Auſtria quid trepidas? me percontabar. & ipſa,
Neſcio, reſpondi mihi. Rex & Cæſar, & omnes
Auſtriaci, mea cura, mei, bene Numine dextro
Dante valent. & jam Stephani Victoris ad aram
Viſimus, obtulimúſque preces, & thuris acerram,

Primi-

Primitiáſque novi veris: cum Daphnide palmam,
Et caſiæ mitis generoſa, roſáſque & amellos,
Et violas calycéſque Hyacinthi & pulchra liguſtra,
Thymbrámq. & Cyanen, ſerpilláque, cúmq. amaranthis
Fulgentes ſtephanos, ductas à nomine gemmas:
Has equidem mente, ut mæſta ſine nube malorum
Curreret Auguſtis Titan, Saturnia volvens
Sæcula, & antiquos flavis cum menſibus annos.
Bojariæ *metuo. Vix dixi, & Epiſtola venit*
Horrida, fatalis, lacrimoſis miſta lituris.
Accipio: tremuêre manus, & vena reſedit.
Aſpicio: ah! Superi nôrunt, quo lumine viſam.
Deſtruo berillum, religatáque ſigna reſolvo:
Heu! cadit in terras. bis ſublevo, bisque relapſa eſt:
Penè & ego: quàm dira mihi præſagia portat
Littera! dicebam. vereor, ne lapſus in illa
Hæreat, ah! fato longè peiore legendus.
Id quod erat, dixi. conſtricta ubi vincula laxo,
Flebilium video temerè congeſta notarum
Fragmina, & abruptos apices à cuſpide pictos.
Charta rubet multo tabo. tunc talia legi.
Enſe vides ſcriptam, quæ venit Epiſtola ferro
Cincta. *ſteti vultu paullùm cunctantior alto,*
Læta an mæſta mihi perſcriberet, inſcia. pergo.
Ne rubras mirare notas: liquor abfuit ater.
Vaſculum id, unde latex calamis hauritur aduncis,
Caſſis erat. *ludos, jam tandem adverto, jocoſos*
Læta ſoror celebrat ludos: quia ſcilicet enſis
Eſt calamus, meritò galeis intinxit & oſtro.
Fors ijt in ſilvas, & jam venabula torquet,
Diana laudante manum, mirante Lycaſte.
Vnde cruentato, quod tinxit bellua, telo,
Vt pharetratarum mos eſt ſcribendo Sororum,
Invitare meos adſe quoque geſtit amores.

AuſtriaBojariæ litteras, mortem Tillij nunciantes, accepit & anxia legit.

Sed cur feſtivos tam triſti tempore ſoles
Circumagat, calidisque feras ſudoribus urat?
Nec ſolet hoc. & jam tempeſtas ferrea Martis
Longè aliud ſuadet. vel blandis ludimur ipſa
Verſibus, aut aliquid, quod nec divino, latebit.
Qualiacunque tamen tibi miſſa hæc littera portat,
Perlege: *ſic ergo? lecturam nónne putâſti,*
Si non ut legerem, monuiſſes antè? legenda
Qualiacnuque mihi. *nempe ut mala noſtra legamus,*
Cogi debemus. bona, quæ ſcribuntur amicis,
Lecta placent, non eſt opus, ut moneantur; & ultro
Arripiunt: ſua nemo ſibi, puto, gaudia durus
Invidet. Incipio: (Dij me!) quod nolo vereri.
Tillius in campo cecidit: *Sint omnia vana, &*
Falſa, precor: vel ſi cecidit; ſuccurrite lapſo
O! Superi, bellique Duces! graſſatur & inſtat
Suecus. *& hac opto triſtis mendacia fama*
In fumos abeant: aut ſi ſuperaverit amnem,
Vindelicis mergatur aquis, torrente profundo
Raptus. habes ſummam. *ſatis eſt. quid deniq; reſtat?*
Tillius occubuit. *lecto hoc plorare volebam,*
Non potui: lacrimas incluſit magna doloris
Vis ſubiti: hoc tandem protruſi: ad Caſaris ibo.

Vehemens luctus ſenſuum officium impedit.

Bojaria nequedum adverterat, Auſtriam adveniſſe: ſed diſcorde animi tumultu, varionímque affectuum occupata duello, in funere ſui Tillij hærebat. donec allevavit ſe, & languidum oculi ſidus in officium excitans, ſororem Auſtriam conſpexit. Superi! quæ turba in animo etiam Superûm! impedivit hæc, quò minùs agnoſceret, quam videbat. adeóne placent lamenta, & dolor in voluptatem venit? ergo gemiti-

mitibus mulcentur afflictæ mentes ? & ſuſpiriis fatigare lubet calamitatis memoriam ? dicebat etiam Alphonſus : Facio nunc cum Divo Auguſtino confitente : Animum mœſtum, ſi lacrimis abluatur, plurimum ſui mœroris cum illa unda per oculos egerere : gemitu ac ſuſpiriis evolvi id, quod dolet. Unde autem hæc cupiditas, ait Symphorianus, avidè dira ſpectacula intuendi ? etenim delectamur, audire triſtiſſima quædam mala, ſi grandia ſint : & tragicam malorum majeſtatem non ſine mixtura voluptatis videmus exhiberi. Ebria tam ferocibus malis Roma, ingurgitavit ſe humani ſanguinis, in arena profuſi, torrente. ingens aliquid vidit, & riſit. riſit, & damnavit, & gaviſa eſt : gaviſa eſt, & flevit. cur igitur lubet videre, quod conciet dolorem ? num quia aliena mala ſpectamus, atque ideo gaudemus, iis non affligi ? num commiſerationis affectu pervadente animum , animus ſibi quodammodo præſentior dilatat pectus, & inde voluptatis exotica quædam vis promanat ? ut ais, reſpondit Alphonſus : quin iſtud addis : ſi & hi luctus non omnino ſua dulcedine carent ; pronum eſſe cogitare, lacrimas oculorum, ab imbre cæleſti turgentium, pro Deo fuſas, quas pœnitens animus ſolet ubertim exprimere, utique ſolatio non deſtitui. diſce, horrorem illius vitæ, quam multi mortales ut auſteram formidant, maturitatem reconditi gaudij ſpirare : diſce, non omnem lætitiam hilari vultu & levitate quadam delibutam

eſſe: quando ipſi leſſi quoque delectant lugentium animos. Hîc Bojaria iterum conſurgens, magnificè ingemuit.

QVàm ſemel incepto miſeram deſiſtere luctu
Difficile eſt, frenóve truces inhibere dolores,
Ne peccent! jam penè malis aſſuevimus iſtis.
Delectant gemitus, & vim mæroris amamus.
Omnia tentavi, ſi quid componere poſſet
Mentem incompoſitam, nimiiſque à cladibus hauſtam.
Eſto: oculos claudam, videámque afflicta ſoporem:
Se meus inſinuans oculis, meus ille vagatur
TILLIVS, & nunquam fruſtra conſpectus oberrat.
Iam nimiùm pallens: (& toto expalleo vultu)
Vulnera jam monſtrans: (& ijſdem ſaucior ægra)
Iam morbo flagrans: (& tunc magis æſtuo curis)
Iam tanquam moriturus: (& in ſuſpiria ducor)
Iam me quærenti ſimilis: (reſpondeo muta)
Mox etiam vitâ defectus: (& augeo fletum)
Nonnunquam armati ducis obverſatur imago:
Protinus in venas intrat nova flamma, manúque
Arma minax rapio, ſimul in diſcrimen itura.
Ceu coràm videam, vel equeſtria frena tenentem,
Hortantémque Duces: peditum vel in agmine multa
Mutantem imperia, & PATRIS cognomine lætum.
Vel terræ adſtratum, vultúque ad ſidera verſo
Tendentem palmas, depoſcentémque triumphos.
Sit fixum ſempérque ratum: nec livor & audax
Ambitio evertat. quidquid laudavimus olim
Heroum: ſeu mente pios, ſeu corpore caſtos,
Seu blando ſermone graves, ſeu moribus æquos,
Seu manibus promptos, ſeu magno pectore fortes:
TILLIVS in ſeſe cum toto pondere rerum
Tranſtulit, & meruit multus, quanquam unus amari.

Dicebat

Auſtria à Bojaria tandem noſcitur: utrinque varii conſurgunt affectus.

Dicebat hæc inambulans: & jam magis excitata, oculos non fruſtra movebat. Auſtria eunti ultrò ſe in conſpectum dedit, etiam agnita. Non hîc facilè deſcripſerim affectuum alternatas vices, geſtuúmque ſingulare decus. inopinus Auſtriæ adventus, lugubris majeſtas, in idem dolor utriuſque convocatus contubernium, amoris manifeſti indicia loquebantur. Bojaria ſe demittens, Auſtriæ regaliter honorem habuit: iſta Bojariam amiciſſima voce ſalutavit, ut Soror Sororem. Hæsêre deinde in mutua contemplatione defixæ, & altera alterius vultum oberravit: ſecutum colloquium eſt, ſed tam ſecretum, ut exilem fractúmque ſonum vix perciperemus. quanquam ex mutatis utriuſque vultibus nonnihil colligere licuit. ſive jam de periculoſo bello contra Romanum Imperium oborto, Suecíque Guſtavi pernicioſis molitionibus evertendis diſſeruerint; ſive de auxilio proximè ferendo: optavimus quædam ſigna magnarum rerum, de quibus ſermo eſſet, facies permeare. Et Bojaria ſæpe cunctanti ſimilis, mentéque collecta quaſi conſilium datura: poſt illud explicans, prudentem ſolicitudinem oſtendebat. Auſtria quoque ſuam interſerens, quid faciendum eſſet, deliberare videbatur. cùm Soror aliquid reponeret, porrexit litteras: cujus manu juſſúque ſcriptas, intelligere non potuimus. Inter legendum Bojaria ſubinde indignabatur, ſubinde gaudebat; & erecta in ſpem, annuentium more aliquid comprobabat.

Digitized by Google

babat. jam oculos ad cælum ſuſtollens, mox ad tumbam, denique in ipſam Auſtriam plenos amore ac reverentia conijciens, oſculo ſignatas litteras reddidit. illa benevolentiâ ſingulari reddentem permulſit. Alphonſus, in Eleuſino ſacro ſumus, inquit, nec loqui licet, nec intelligere loquentes. quàm exotica conſiliorum communicatio? Ego: quando aut ubi ergo, Alphonſe, audiviſti ſecreta conſilia propalari? Si nos Divæ hæc ſcire vellent, canerent; & ſi deberent, ab Apolline adigerentur. Scis, quando hic Deus intrat animum, etiam ex invitis propulſas bacchari voces, atque in patenti campo exundantem fluctuare facundiam. ſint quædam abdita vulgi auribus, etiam noſtris. mira nonnunquam ſpargimus, ut multa ſcire credamur. verè an temerè, juxtà habemus. hinc prava manant judicia, ſuſurri, falſi rumores. Nimirum quod in aurem Junoni dicit Jupiter, nôſſe volumus: præpoſterâ humani ingenij curâ ducti, omnia ſcrutamur: & quod peſſimum eſt, ſenſa noſtra, vel alieni figmenti ludibria vendimus pretio honeſtæ auditionis: tanquam oracula forent, & quidem Delphis ex ipſo fonte hauſta. Quæ Bojaria Auſtriæ communicet, noverint ipſæ: non neceſſum eſt plebem ſcire, quid Numa ſtatuerit: aut Hannibalem, quid Fabius. An non hoc etiam in Poëſi noſtra obſervatur, ut minorum gentium fluvios non admittamus ad comitia magnorum fluminum? ſcilicet, cùm hæc habentur

con-

convocante Jove, & Danubius, Rhenus, Albis, Mœnus, Viſtula conveniunt; patrij rivuli, vix una aut altera arundine inſignes, nullius tridentis capaces, nullum ventum experti, coram ipſius Neptuni Palatinis comparebunt? ſimul accumbent? audient, quod decernitur? ſimul in ſententias fluent? nihil minùs. Hoc majorum fluminum jus eſt, ut minores aquas gubernent: harum parere eſt, & urnas ſenum, ubi direxerint, tenere. Odi Rempublicam, inquit nonnemo, in qua Julia novit, quod Julius ſtatuit; & Pyrrha promulgat, quod Pyrrhus decrevit. Rectè, inquit Alphonſus, à me ſtas: neque enim, quod antè dixi, pravè diſcuti velim. ſed ecce! jam peracta eſt religio hujus plùs quàm Cerealis Sacri. ac ſi nulla conſilia miſcuiſſent, interrogatur una ab altera. ſciſcitabatur autem Bojaria ex Auſtria, quî morte M. Tillij ſe habuiſſet: quî audita Suecica rabie? illa ceu primùm adveniſſet, in hæc verba.

Non poteram fari, tantùm ſingultibus apta:
Verbáque mandebam truculento plena dolore.
Nunc ſponda incubui, rurſum me paſſi levari,
Mutatiſque thronis ſedi, tabulámque popoſci:
In qua cùm luctus paullùm manſueſceret, aſtu
Libera, conceptis ſcripſi ſolatia verbis,
Si tamen has tetigère manus. (ſermone modeſto
Aſſeruit, multúmque gementem expreſſit amorem.)
Exin Cæſareos poſtes & limina pulſo, **Auſtria rē omnem geſtam auditàmque**
Sicut eram ſqualens, ſparſiſque inculta capillis:

Imperatori retuliſſe, multisque graſſantes Sueci furias, apud eũ ſe perſtrinxiſſe, perhibet.

Atra toga, informi chlamys oblita murice, ſertum
Vilius, & ſolis curis diadema coruſcum.
Poſtquam me affudi genibus, ſuſpiria duxi,
Et cum voce manus, ita fata: Ideóne tot annis
Vicimus, ut noſtris miles frueretur Opimis
Barbarus, & ſeſe ſatiaret cladibus Orbis?
Vandalicus furor eſt: quid enim ſe miſceat hoſtis
Exterus Imperio? noſtris cur enſibus enſes
Opponit Scythicos? gruibúsne ad Balthica natis
Æquora, & ingentem pennis facientibus umbram,
Romanas Aquilas parat infeſtare protervus?
Prô ſcelus! obnixos curſu perrupit aquarum
Torrentes, noſtrámque ferox molitur in Vrbem
Suecus iter. jam tot fluviorum tergora calcat,
Quot reperit fecítque rates. Neptunus in alto
Oceano miratur, aquas ſua in oſtia volvi
Rubras, & pedibus trepidis: captiváque Rheni
Brachia cornigeri dudum ſtupet, udáque tabo
Oſtendit glaucis (ſed & hæ gemuêre) Puellis.
Danubius ſupereſt, cursúque citatior Oenus,
Mobile par fratrum: quos ſi trajecerit, actum eſt.
Collum obtorta trahar, ſpoliúmque immane tyranni,
Ducar in æterno damnatas frigore terras.
Scilicet ad Stephani turres ego ſigna videbo,
Guſtavi defixa manu? vel capta Getarum
Vxores ancilla ſequar? neu dedecus iſtud
Neu Superi manare ſinant. prohibete: quis autem
In terris prohibet? tantis par TILLIVS auſis
Occubuit: casúque Ducis ſe erexit Adolphus
Dirior, & nimiis etiam ſucceſſibus audax
Crudelésque neces, horrendáque fata minatur.
Vſque adeò? nempe hoc? potuitne? ô Numen! & iſte?
Cur verò exarſit? quid tandem? igitúrne profundis
Nos merſurus aquis, vel calcaturus equis nos?

Atque

Atque utinam citiùs, ſi ſtragem debeo fatis!
Vrbes convellit flammis, vel tale tributum
Exigit, ut gemini lucretur damna doloris.
Ac niſi claudatur caveâ trux bellua, pœnam
Imponet lacrimis. aurum cogetur avaro
Pro gemitu præbere puer: certiſque diebus
Lugubre vectigal noſtri dabit halitus oris.
Vulnere nulla vacat regio: graſſatus ubique
Proventu ſcelerum vixit. Nec tanta ſuperbus
Bella catenavit factis, aut geſſit in armis,
Quanta minax jactat. campis ignavior hæret:
Dum multâ face exundet, numeróque rebelli
Terreat obſtantes. tunc primùm ſævior inſtat,
Et ſpoliis accingit iter. Sic meſſe cadente
Autumnóque orto MAGDEN *lacrimabile* BVRGVM,
Aut potiùs buſtum, timidus certare, reliquit.
Tandem ſtricturus gladios, ſibi Saxona primùm
Immolat, & vincit victus: quia victor abuſus
Mortibus, (ergo nefas!) & quod crudele, ſuorum eſt.
Hunc, niſi deſiſtat, Cæſar, depoſco feriri:
Regia TILLIACOS *ut placet victima manes.*
Sic fata in vultum moderantis lumina fixi.
Ingemuit Cæſar: placido mox lætior ore:
Vive mea, & flore ſine luctibus, Auſtria: quanquam
Suecus nunc regnet, tandem tamen occidet ille:
Fide Deo. dixit, vultúmque ad ſidera torſit.

Incredibile dictu eſt, quantum placuerit Bojariæ hæc Auſtriaca confeſſio. proinde omni humanitatis genere, quæ exequialibus cærimoniis convenire poterat, Auſtriam proſecuta, magno animo benevolam ſe obſtrictámque infudit. Mars interea, velut è pro-

Imperatori retuliſſe, multisque graſſantes Sueci furias, apud eũ ſe perſtrinxiſſe, perhibet.

Atra toga, informi chlamys oblita murice, ſertum
Vilius, & ſolis curis diadema coruſcum.
Poſtquam me affudi genibus, ſuſpiria duxi,
Et cum voce manus, ita fata: Ideóne tot annis
Vicimus, ut noſtris miles frueretur Opimis
Barbarus, & ſeſe ſatiaret cladibus Orbis?
Vandalicus furor eſt: quid enim ſe miſceat hoſtis
Exterus Imperio? noſtris cur enſibus enſes
Opponit Scythicos? gruibúsne ad Balthica natis
Æquora, & ingentem pennis facientibus umbram,
Romanas Aquilas parat infeſtare protervus?
Prô ſcelus! obnixos curſu perrupit aquarum
Torrentes, noſtrámque ferox molitur in Vrbem
Suecus iter. jam tot fluviorum tergora calcat,
Quot reperit fecítque rates. Neptunus in alto
Oceano miratur, aquas ſua in oſtia volvi
Rubras, & pedibus trepidis: captiváque Rheni
Brachia cornigeri dudum ſtupet, udáque tabo
Oſtendit glaucis (ſed & hæ gemuêre) Puellis.
Danubius ſupereſt, curſúque citatior Oenus,
Mobile par fratrum: quos ſi trajecerit, actum eſt.
Collum obtorta trahar, ſpoltúmque immane tyranni,
Ducar in æterno damnatas frigore terras.
Scilicet ad Stephani turres ego ſigna videbo,
Guſtavi defixa manu? vel capta Getarum
Vxores ancilla ſequar? neu dedecus iſtud
Neu Superi manare ſinant. prohibete: quis autem
In terris prohibet? tantis par TILLIVS auſis
Occubuit: casúque Ducis ſe erexit Adolphus
Dirior, & nimiis etiam ſucceſſibus audax
Crudelésque neces, horrendáque fata minatur.
Vſque adeò? nempe hoc? potuitne? ô Numen! & iſte?
Cur verò exarſit? quid tandem? igitúrne profundis..
Nos merſurus aquis, vel calcaturus equis nos?

Atque

Atque utinam citiùs, ſi ſtragem debeo fatis!
Vrbes convellit flammis, vel tale tributum
Exigit, ut gemini lucretur damna doloris.
Ac niſi claudatur caveâ trux bellua, pœnam
Imponet lacrimis. aurum cogetur avaro
Pro gemitu præbere puer: certisque diebus
Lugubre vectigal noſtri dabit halitus oris.
Vulnere nulla vacat regio: graſſatus ubique
Proventu ſcelerum vixit. Nec tanta ſuperbus
Bella catenavit factis, aut geſſit in armis,
Quanta minax jactat. campis ignavior hæret:
Dum multâ fæce exundet, numeróque rebelli
Terreat obſtantes. tunc primùm ſævior inſtat,
Et ſpoliis accingit iter. Sic meſſe cadente
Autumnóque orto MAGDEN lacrimabile BVRGVM,
Aut potiùs buſtum, timidus certare, reliquit.
Tandem ſtricturus gladios, ſibi Saxona primùm
Immolat, & vincit victus: quia victor abuſus
Mortibus, (ergo nefas!) & quod crudele, ſuorum eſt.
Hunc, niſi deſiſtat, Cæſar, depoſco feriri:
Regia TILLIACOS ut placet victima manes.
Sic fata in vultum moderantis lumina fixi.
Ingemuit Cæſar: placido mox lætior ore:
Vive mea, & flore ſine luctibus, Auſtria: quanquam
Suecus nunc regnet, tandem tamen occidet ille:
Fide Deo. dixit, vultúmque ad ſidera torſit.

Incredibile dictu eſt, quantum placuerit Bojariæ hæc Auſtriaca confeſſio. proinde omni humanitatis genere, quæ exequialibus cærimoniis convenire poterat, Auſtriam proſecuta, magno animo benevolam ſe obſtrictámque infudit. Mars interea, velut è profundo

fundo ſomno vigil, cœpit commoveri, multum adhuc veteris iræ ſervans, & non parum doloris. ſæpe capulum concuſſit, ſæpe galeam, & atroci gemitu terribilia verba miſcuit. videbatur ipſum M. Tillij gladium ſuo lateri accommodaturus (manum enim protenderat) ſervare velle: quod exiſtimaret, nullum, excepto ſe, dignum eſſe, cui ſtringendi illius facultas daretur. Vidit hoc Auſtria & ingemuit. atque ad Bojariam: hunc, ô Soror, Gladium depoſcit Ferdinandus meus. ne defraudes Imperatoris optimi Votum. habet Mars ferrum, & chalybem, & arma, & officinas: comparet ſibi enſem unde unde, ſi non habet: (quis autem non habere credat?) ſi habet; ad Cæſarem iſte ſpectat, qui transmiſſum ſibi inter adorandæ vetuſtatis monumenta collocabit.

Auſtria Bojariam M. Tillij gladium nomine Cæſaris rogat.

Mars certior hujus rei factus votique Cæſarei, & adventûs Auſtriæ, exiliit feſto cum fremitu, ad omne obſequium ſe offerens. gratulari ſibi plurimùm, exoptatiſſimam Deam ad M. Tillij exequias conveniſſe: plurimùm Martem Auſtriacis devinctum obſtrictúmque eſſe jam ab eo tempore, quo Rudolphi Habspurgici cælo nata virtus in bellorum curas incubuiſſet: memoriâ nondum excidiſſe Fridericos, Maximilianos, Ferdinandos, Carolos, quorum ingenti gloriæ ſæpe ſæpius in caſtris atque victoriis propagandis deſudâſſet: certiſſimum ſibi eſſe, à Caroli M. ævo nullum Imperatorem bello, pace, pietate, juſtitia,

Mars obſequia ſua Auſtriæ defert.

mode-

moderatione, clementia celebrem cum FERDINANDO II. comparari poſſe. diceret illi, ut ne quid à Marte roget, aut impetret; ſed imperet. in terris Jovem ſuum agnoſcere non alium, quàm Cæſarem: hunc ſe defenſurum à quibuscunque periculis atque perniciosis molitionibus, polliceri: gaudere ſe vehementer, quòd Imperij Romani moles, à Filio ſuo Romulo nomen vigorémque indepti, in Auſtriacos humeros conſederit: ſecuriùs hoc terrarum pondus nuſquam quieſcere potuiſſe: allaboraturum ſe omnibus modis & armis, ut inviolata poteſtas Imperij Romani conſervetur: daturum illum pœnas, qui contrà faxit. & nunc ſe omnes iras, nervúmque neceſſarium parare, ut ignobilis Ponti fatigata rabies caſtigetur; dediſcántque barbari, Romanorum Cæſarum pulſare velle majeſtatem. Cæterùm M. TILLIJ gladium, quanquam proprio enſe pretioſiorem æſtimet, virili oſculo preſſum, omnino ſe Cæſari traditurum; ſi priùs illo æternam inter Auſtriam & Bojariam fœdus ſanxiſſet.

Eidem Gladium M. Tillij donat. quo priùs inter eam & Bojariam æternum fœdus ſancit.

Mirum viſu! ſic effatus utramque Divam conſertis manibus tenens, ipſe medius: *hoc*, inquit, *Gladio, quod Superi bene vertant! ego Mars bellorum & Romuli Pater, Auſtriacorum Bojorúmque fautor optimus, te Auſtriam & te Bojariam.* (juſſit utrumq; capulum tangere: tetigerunt.) *non disrumpendâ conjungo amicitiâ: hoc, inquam, M. TILLII gladio* (capulum iterum oſculo libârunt) *ſancio fœdus inter vos, nullo impetu, nullis conſiliis turbandum: ſimúlque polliceor, hoc ſervato, me ſemper in utriuſque Divæ prælus ſti-*

pendia meriturum, & daturum eſſe: hoſtes utriuſque, ſive ex Turcia lunatico agmine incedant; ſive ex Batavis paludibus reſtagnent; ſive aliunde, non parſuro ferro conciſurum: (aciem gladij Tilliani oſculo libârunt) *quicunque minis invaſuri ſint Imperium Romanum, vel verbis inane crepantibus laceſſituri utriuſque Divæ potentiam, & Sereniſſimum Nomen, me ſtatim illis obverſurum mucronem*: (mucronem Tilliani Gladij oſculo libârunt) *ſummóque cum contemptu & ignominia ad internecionem perſecuturum.* (Gladium Tillianum in orbem rotârunt) Dixit: & illum ipſum gladium ad os in ſignum reverentiæ admotum Auſtriæ dedit. quæ brevi: intelligere ſe pronam animoſiſſimi Deorum voluntatem, de qua nunquam dubitâſſet. operam daturum Ferdinandum (& ipſe Mars quoque auditum nomen flexo poplite deveneratus eſt: quis illum his cærimoniis aulicis initiaverit, ignoro) ut Martis gloria nunquam in Imperio vileſcat. Tum deinde Bojaria paucis: habere ſe grates, aut potiùs tantùm agere ſtrenuo Divo, non dedignato hanc amicitiam etiam ſanguine olim mixtam, nunc ſolenni quoque Sacramento communire. Suum Maximilianum ratam habiturum hanc operam: qui & ipſe Marti in paucis addictus, Pragenſis pugnæ glorioſam victoriam ſæpe in memoriam revocet. Audiviſſe ſe ore tenus, cùm diceret: Marte propitio ea omnia bella geſta, quæ M. Tillius geſſiſſet. Ita eſt, reſpondit Mars, & conſedit.

Auſtria Marti grates agit: dein Bojariæ.

Divæ

Divæ prorſus ignorârunt, gaudendum ipſis, an lugendum eſſet. Lætabatur Auſtria, gladium ſe obtinuiſſe. ſed ubi manus, ubi robur, ubi nervus ille, obijciebat ſibi, qui tale ferrum decet? quo fiebat, ut TILLIJ defuncti memoria, nimiúmque jam abſentis ſolicitaret oculos, planctúmque exprimeret. Bojariam afficiebat monumento tam nobili ſancita fœderis dignitas: ſed non minùs conſpecto Herois enſe ſolvebatur in luctum, quem in augmenta profluentem tenerrimis queſtibus exacuebat. Non invidit Auſtriæ gladium; imò Martem, ut daret, exoravit. Nequijt tamen illius obliviſci, cujus manu ductus in tot hoſtium corpora deſcenderat. Tandem ambæ conſederunt, eo vultu funus contemplatæ, ut neſciverimus, an in eo ſpecioſiùs eluceret mœror aliquis, an ſeverius gaudium emicaret. Symphorianus utramque conſiderans: quàm cupio, inquit, audire epiſtolam ab Auſtria Bojariæ datam, reſponſis, ut dixiſti, mitibus dulcique ſolatio plenam. amabò, ne durus ſis mihi: cumulas me & Alphonſum beneficio, niſi deſtituis: neſcio enim, an cum majore unquam voluptate jam audienda ſit, quàm hærentibus modò nobis in utriuſq; Divæ aſpectabili præſentia. Ego: iraſcerer tibi Symphoriane, ſi jam non petiviſſes. Audite.

Epi-

Epiſtola Auſtriæ, quâ reſpondet epiſtolæ Bojariæ ad ſe transmiſſæ, miratam ſe fuiſſe inſolentem ſcribendi modum: ſummo cum dolore Mortem Tillii, non minore gaudio, obſidionis Ingolſtadienſis felicem exitum audiviſſe: confidat modò; nunc ſe, quàm fieri poſſit celerrimè, ad ſuppetias ferendum properare.

Hanc tibi, quam mallet coràm præſtare ſalutem,
Auſtria Bojariæ mittit amata ſuæ.
Cùm ſimul afflictas caſus conjunxerit unus:
Differt ſcribendi cur utriuſque modus?
Sanguine tu ſcribis, lacrimis ego perpluo chartam.
Ferrea penna tibi eſt: penna Aquilina mihi.
Vt vidi gemmámque tuam, transmiſſáque legi:
Lapſa eſt ex manibus littera rubra meis.
Turbidus horror iit per membra, gelúque cucurrit:
Et ſubitò crines diriguêre metu.
Me quoque tangit amor, vocat in conſortia funus:
Et cupio luctu non minùs ipſa frui.
Quas in tot bellis ſocias Victoria junxit,
Non debet victas diſſociare dolor.
Ille igitur cecidit? (vix poſſum ſcribere nomen)
Tillivs ille tuus mortuus, ille meus?
Dent Superi, precor, hoc, ut non dicatur inultus
Tillivs ille tuus mortuus, ille meus.
Nec puto dicetur. niſi me Rhamnuſia fallit:
Quondam etiam felix ardua bella gero.
Et noſtris vigor eſt Aquilis, & fulminis ira:
Exerit inſurgens & tuus arma Leo.
Auguror, an voveo? Forſan Guſtavus ad ipſum
Defuncti tumulum victima digna cadet.

O uti-

Digitized by Google

O utinam tunc, cùm primo ſe tradidit Euro,
Hæſiſſet mediis naufraga claſſis aquis!
Aut vaga per ſcopulos lacera fragmenta carinæ
Sparſiſſes ventis, Æole magne, tuis.
Non tam crudelem vidiſſet Lipſia pugnam:
Nec pars imperij nobilis uſta foret.
Extimui, fateor: quando vicinior hoſtis
Moverat in campos, Francia mœſta, tuos.
Et dixi: ah! properat: quis enim tardabit euntem?
Area regalis ſi modò capta patet?
Quàm vereor, ne, qua tulit Vrbs ſibi nomen ab **Herba,**
Herbam cum botris porrigat illa ſuis.
Vſque adeò ſemper creſcit mihi cauſſa timoris;
Et videor nunquam poſſe timere ſatis.
Sive rotat Cornu *taurino robore Suecus:*
Arbitror hoc Siculo fortius eſſe bove.
Sive Bovis ſtellam *mediis accendit in armis:*
Stella Bovis *viſa eſt eſſe cometa mihi.*
Sive ſuum Mortem *(prò formidabile nomen!)*
Miſit: & hic Erebi dux mihi viſus erat.

Nomina Ducum Suecicorũ Horn Och. ſenſtern Tedt.

Nunc quoque Danubio ſi qua delabitur alnus,
Quæro ego: dic, bellè Boica Diva valet?
Cùm malè, reſpondet: Superi! meliora! repono:
Non his, non iſtis eſt Dea digna malis.
In te fingo trucem populum crudeliùs ire,
Et conſanguineas depopulare genas.
Auſtria quid fingis? Nimis hæc ſunt vera: Penates
Occupat, & ſacrum jam quatit enſe caput.
Miſſa tibi nuper narravit epiſtola, quid ſit,
Finlandos uno ſuſtinuiſſe die.
Tecta flagrant, urbes ardent, altaria fumant,
Iámque catenato clauditur amne Lycus.

Audio & Anglipolim tentatam, ipſúmque potentis
Flumen Danubij, cornigerúmque patrem.
Atque aliquis conviva mihi ſolatia teſtis
Laturus, pinxit Suecica caſtra mero.
Hic, ait, ad portas, quà ſe ſpumoſior explet
Alveus, effoſsâ ſtat novus agger humo.
Non procùl hinc aliud ſuccrevit in aëra vallum:
Quod ſudibus ſepes undique dura premit.
Hic erexerunt ſpeculas & inutile vallum,
Furca ubi Prædones ſtrangulat alta reos.
Inde ubi decurſu fluvius ſpatioſior arci
Imminet, ex ratibus machina ſtructa fuit.
Vix credas, quantis furiis, quo turbine pontem
Impulerit noſtro Marte repulſa cohors.
Bis tentavit iter, bis non evicit: & iras
Conſumpſit fruſtra, magnanimúmque nefas.
Talia monſtravit digito, quæ ſcire juvabat:
Penè operi præſens tunc mihi viſa fui.
Id quoque percepi, quòd torta glande peremptus
Luſtrantis fuerit mœnia Regis equus:
Vellem, ut eques. *ſed & hoc certo dabit ordine fatum:*
Et mihi prædicunt Martyris oſſa mei.
Tu modò fide ſoror. ſic per communia tecum
Gaudia, per thalamis debita jura ſacris:
Pérque tuum, quo non Princeps devinctior ullus
Eſt mihi, pérque tui Principis oro Patrem:
Fide, nec indubita nobis: veniemus ad arma.
Ipſa adero, & mecum, qui meus Alter, *erit.*
Interea pugna, Suecúmque elude tumentem:
Martis Amazonij tempus adeſſe puta.
Occurrat menti telis inſtructa Camilla,
Quaque manu peltam Pentheſilea gerit.

Fac

Digitized by Google

Fas quoque, cùm pugnas, oculis ut ſemper oberret
Mortuus ille tuus Tillius, *ille meus.*
Ille ſuos cineres inimica effundet in ora:
Bellatrixque novas afferet Vmbra manus.
Sed quoties haſtam criſpas, atque agmina cadis;
Auſtria, dic, Geticas has tibi libo neces.
Scilicet exhorter tantùm, jaceámque Vienna?
Te jubeam validâ ſumere tela manu?
Me ſine pro muris, ſine me vigilabis in agris?
Nos ſomno interea deſide luxus alet?
Tu galeam portes; ego ſerta nitentia gemmis?
Tu rigeas chalybis, muricis inſtar ego?
Surge potens rerum Moderatrix Auſtria, ſurge:
Auſtria, quin pugnax protinus arma rapis?
Imperium nutat, jactat ſua Barbarus arma:
Auſtria quin pugnax protinus arma rapis?
Quæ jurata tuis famulari debuit haſtis
Illa datam fregit Norica terra fidem.
Obſequium toties Aquilis victricibus Vlma
Promittens, ſacras Vlma feſellit Aves.
Denique perjura quot ſunt cum civibus urbes?
Auſtria, quin pugnax protinus arma rapis?
Inſultat Saxo, nec te putat eſſe timendam,
Poſtquam vixiſti Carole Quinte mihi.
Qui te debebant alij defendere, fallunt.
Auſtria, quin pugnax protinus arma rapis?
Ora favos ſpargunt, fel pectus: Scipio labris,
Mentibus infidis Hannibal Afer ineſt.
Inſuper æquoreis terret Rex navita phocis:
Auſtria, quin pugnax protinus arma rapis?

Digitized by Google

Et hoc aliquid eſt, inquit Symphorianus: ſic Bellonam oportet ſcribere. Rapiat modò arma, & perduellium incredibilem perfidiam fortiter contundat. à Carolo Magno didicerit hoc Auſtria, ait Alphonſus, qui litteras ſuas nulla gemma, ſed capulo obſignabat, dictitans, eundem gladium mandatis addere debere auctoritatem, & eorum temeratores punire. forſan ipſius quoque M. Tillij Gladius in hos uſus ſervatur: ut eo Pax decreta muniat, quo bellum pacis turbatores interfecit. Si Ancile Romulo de cælo delapſum, virides in ramos ac folia, vernante ligno, ſubitò ſe explicuit, à poſteris deinde ſemper cultum: ſi Serrani, Quinti Fabricij ligones, vomeres, falces Roma Capitolio incluſit, eáque trabeatorum agricolarum inſtrumenta, Conſules ſecuti ſummo in honore habuerunt: poterit ergo meliori jure M. Tillij gladius veneratiõi apud poſteros eſſe: cujus conſpectu exardeant ad eadem facinora peragenda, quæ Tillius peregit. Novi ego locum, in quo diverſorum Heroum arma ſuſpenſa non ſine ſacro aſpicientium horrore pendent. Si gladius iſte in auctarium impetretur; næ ille locus nobiliore ferocia implebitur, ſtimulabítque curioſos oculos, ut fruſtum hoc ferri à cuſpide uſque ad capulum religiosè contemplentur. Plura dicere parantem interpellat Symphorianus: auditis? Achillis cithara ſonat: canuntur militum laudes. convertimus oculos:

Gladius M. Tillij in honore & amoribus poſteritatis erit.

loſ: prodeunt iidem, qui paullò antè leſſum infremuerant, nunc ornatu exquiſitiſſimo culti: datâ tamen operâ, ut formidoloſum aliquid, bellíque facie dignum elegantia diffunderet. Hi cum tubis muſicóque apparatu ad tumbam progreſſi, militare præconium cecinêre. Chorus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



CHO-

Digitized by Google

CHORUS II.

Militum proborum canit laudes, corúmque vitam & honores atque virtutes aliis præfert: propterea quòd M. Tillivs ex militia ad tantam dignitatem atque ſplendorem pervenerit.

Voto ſi liceat frui,
Optem militiam magis,
Quàm lites humilis fori,
Et pacem trepidam ſequi.
Agat hic cauſſas, mæſtóſque reos
Empta lingua tueatur ope.
Ille diſerto mollior ore
Liquidos trudat gutture fluvios,
Moveátque levem, quò vult, populum.
Mihi bellum, mihi Mavors
Placet, & quæ truculento
Ardet gloria vultu.
Hic conſiliis impleat Vrbem
Atque Senatum, decorétque togam:
Ille ſuperbi vertice capitis
Quatiat nubes, ſtelláſque trahat,
Septémque viros ſciat errantes
Axe Planetas, arte Atracia
Siſtere pavidos. faciem triplicis
Videat Lunæ; cur in nemore
Alio greſſu vadat & habitu:
Cur ſanguineos maculet radios,

Quan-

Digitized by Google

Quando fratrem gemit abſentem,
Inter cornua ſubeunte globo,
Diſcere ſtudeat.
Alius magno vagus ingenio
Scrutetur aquas, gremiúmque maris:
Quidquid genitrix Natura dedit,
Tellúsque ferax. quidquid volucrum
Natat in cælo, pennísque levem
Remigat aëra, docilis mentis
Premat aucupio. nôrit quatuor
Elementa ſuis quadrare locis.
Alter potiùs citharis trepidet,
Ludátque chely, ſiſtráque tinnula
Errante manu feriat doctè.
Aut cui ſterilis ſapit ambitio,
Intret in aulas, laqueata terat
Verna palatia, quærat Dominum,
Diſcátque duplex curvare genu,
Et ſervili pallere metu.
Ego bellum tamen inter numeroſos
Sequar hoſtes. mihi ferri ſeges alta
Placet, & qui rubet enſis: pharetrarum
Rude textum, jaculorum leve fulgur.
Galearum placet horror, capulorum
Placet aurum. pede quidquid generoſo
Quatit agros, quatit vrbes, quatit hoſtes:
Ego ſemper venerabor, cupiámque
Aliquo ſub duce belli nova caſtra
Meditari, pretioſas ubi prædas
Spoliorum vehit amplo rota curru:
Vbi captus gemit hoſtis ſine telo:
Vbi campos rubicundus lavat imber:
Vbi ſtridor lituorum replet aures:
Tuba clangit, ſonat Echo, tonat æther,

Pedi-

Peditúmque ac equitantum volat ala,
Et victoria nobilis.
Virtute nixus miles, & vitâ probus
Laudes meretur, atque congiarium.
Ille dum vivit, nihil æſtimare
Debet argentum, vel inelegantes
Laminas auri, nitidum vaporem.
Quærat æterna pretioſa vita
Sæcula, & laudem, ſpoliúmque famæ
Auferat hoſti.
Illi cita mors optata venit:
Nec dolet humanis aliquando excedere caſtris:
Qualibet hora eſt ultima vigili:
Vulnera magna ſibi contuſis vultibus optat:
Exultátque ſub ictu.
Ex fago bibat, ánne conſulari
Poculo, haud curat. ſtupidas paludes
Exhaurit galea. ſitímque tali
Nectare tollit.
Mucidum panem, Cererísque fruſtum
Vile ſemeſa rapit eſuritor,
Et Iovis ſpernit cerebrum, ſuáque
Cæſar in olla eſt.
Sic ſic beamur, & novi ſumus Dij.
Quid Duci bellum potuit nocere
Tillio? vitaque rigor, labórque
Longus, & ſomnus brevis, & cicatrix
Denique octava? Emeritus triumphum
Morte concluſit ſibi deſtinatum.
Interim noſtrum tibi magne planctum
Conſecrat Tilly miſerandus Orbis:
Quem reliquiſti, meliore lætus.
Heu nos miſeros! quem deflemus,
Fors è mediis rideat aſtris.
Promite lacrimas, condite lacrimas.

Ne

Nec ſignum quidem doloris adverteramus. Cur igitur lacrimarum meminiſſent, liquere nobis non potuit: niſi fortaſſe, inquiebat Alphonſus, prætulerint in geſtibus vultúque tantùm hilaritatem; in animo mœrorem incluſum ſenſerint. Neque verò hoc, ait Symphorianus. Tillium veriſſimo gemitu planxerunt extinctum: quia verò militia ejus laúſque bellicis laboribus parata non exſpiravit, non neceſſe habuit lugeri, ſed celebrari: homo enim mortuus, non miles: homo extinctus, non Dux: homo defletur, non Tillius. Fama militis, Ducis, Tillii, cineri non incumbit, nec vulnus ſentit. Stabit illa, dum hæc machina. Dicebat autem hæc igneſcente propè vultu; ut notâſſes cum ſolicitudine quadam conquiſita encomia, gaviſúmque, quòd opportunè in militum laudes ire poſſet. Apparebat feſtinatio quædam, & eloquentiæ cuiusdam ſingularis ſplendor, quo ſe præparaverat, data occaſione erupturæ. Ego ad Alphonſum: tantùm permitteret alveo curſum: futurum enim, ut exhauſtus, faciliùs noſtro rore impleri poſſit. Symphorianus itaque effuſis habenis in hoc ſtadium, quàm exangue, inquit, decus eſt, quod nullius hoſtis cruor aſperſit! quàm vilis vita, quæ reipublicæ non impenditur! Milites ego laudo: milites adhortabor, ut pergant in hoc funus intueri, & mentium ſublimitate confiſi, pericula mortémque deſpicere. Bellicis cogitationibus imbuta juventus cui non placeat? Quam ſi quæ-

Vita militaris cumulatis exornatur encomiis, & quare.

R

ſi quæras, quid pertimeſcat, reſpondebit: neſcire ſe, quid ſit pertimeſcere: rogare proinde, ut vocabulum explicetur. Hæc decora ſua pretiosè emit: hæc tanti unum vulnus facit, quanti alter totius corporis talento emptam ſanitatem: hæc præalto affectu inſertam virtutem ſuo tempore exerit: neque naturam interrogat, eccur duas manus conceſſerit. hæc indoles probat multò optimè, quid quæque poſſideat, factis teſtaturas: hæc animos ſupra plebem magnificè effert, facitque, ut non hederarum more, niti cogantur fulcris, ſed heroum more haſtis. Vlmi, pampinique humile conſortium ex egeſtate provenit. *Milites non habent opus ſerpere; gladio ſe fulciunt, & ſæpe ipſa pericula pro vallo habent.* Bello quid antiquius? Bellator David, Joſue, Gedeon, Judas Machabæus. Bellatores pleri-que Romani Conſules Cæſaréſque, qui in hoc faſtigium conſurrexêre. Ipſe Deus exercituum, nominis hujus fulgorem amat. Bellis Carthago, Roma, Numantia crevit: luxurioſa pace Carthago, Roma, Numantia everſa eſt. emarcuerunt nobiles animi in otio, qui horrore diſcriminum erecti, viriles impetus ad diſciplinam virtutis attulerunt. Quàm miſerum eſt, pavere, & vitam in ſummo ducere, nullius gloriæ cupiditate duci! ubi timor, crudeliſſima perturbatio, homini inteſtinum convitium facit, nihil vita pejus æſtimari debet, morte nihil optatius. Et tamen videas, timidos amare calamitatis ſuæ naturale tormentum,

le-

letímque leto pejùs refugere. Fortium eſt, contumaci vultu excipere hoc telum, & dicere: *Tandem aliquando. miror, ut non citiùs! ſi! ut jam ſtatim omnia præparavi ante annum. teſtamentum militare jam nuncupavi: ejuſdem privilegiis frui opto, modo quo poteſt fieri meliore. nihil moror. ecquid ais? Superi beârunt me hoc nuncio. I. refer ad Senatum, me pro patria libenter oppetere mortem. Actutum adero, modò non inultus moriar. Victor utique honeſtè occumbere poſſum. ſeptem horas dormituro veſtes exuendæ ſunt; aliquot ſæcula, etiam corpus.* Quin & animus, ſubjecit Alphonſus, exuendus eſt iis omnibus rebus, quæ in quietem conceſſurum impediunt. Tecum facio: (atque ita Symphoriani ſermonem importunè ſatis abruperat) Militia vita hominis ſuper terram, alterâ longè nobilior: cujus officium pauci explent, TILLIUS cumulatè perſolvit. Miles in iſto bello cautus quiſquis non eſt, triumphum non meretur. imò ſi victus, ſi reus aliquid patraverit, quod capitali per portam Decumanam ducetur mactandus. Ego autem dico, neceſſariò hominem huic militiæ nomen dediſſe, quamprimùm accepit: velit nolit, pugnandum eſt. Nam illa arma, quæ manus ſtringit, levis cauſa rapit & deponit. *Vivere non vult, pugnare qui detractat.* Animus, Symphoriane, animus majora bella ſibi indixit, quàm quæ chalybem conſumunt. ille ſibi hoſtis & amicus eſt: quod bellum proditioni magis obnoxium? ille ſe odit & amat: quod bellum fraudi dolíſque nequioribus expoſitum? ille contra ſe aciem educit: quid ſi dux frangat fidem? hoſti colludat? ille

Varia militia: quæ nobilior & magis ardua ſit, oſtenditur.

ſibi inſidias ſtruit: quàm facilè evitabit aut ſternet eadem ſtrategemata, ſi velit? Periculoſum, me hercule, bellum eſt, vitia oppugnantis; cùm hoſtis ex hac parte furioſus placeat, ex altera invitus vel languidus pugnet. Age tu, quas mihi acies inſtructiores aut magis periculoſas memorabis? Cadmi? Juro tibi: milites, qui in animo tumultuantur, non quidem ex dente Cadmi progeniti, ſed ex Adami dente, primáque à condito homine gula rebelles, fortiùs inſurgunt in ſe-metipſos. Polynices, Etheocles, fraternas acies, intra animi mœnia continemus, imò integras Thebas. immanes affectus ſeditionem movent, & in mutua vulnera converſis haſtis rixantur. iraſceris? amor occubuit. omnia amas? nihil ergo odiſti; & quod deterrimum eſt, ne vitia quidem. Metuis? ſperas? audes? inquire numerum, i, viſe campum: nam certum eſt, aliquot ex hoſtibus cecidiſſe. Nominabis bella Romanorum? non ſuaſerim. quippe in iis exercitum ducebat Imperator: Imperatorem verò duxit libido, ira, audacia. Sic qui Romam triumphantes ingreſſi ſunt, capti animi ſervitutem falſa libertatis ſpecie occultârunt. quos enim ſcelera in terram deducunt, hos ego dixero victores? hos venerer? horum facta ſuſpiciam? noſtin' illud ex L. Annæo: *Rara fides pietáſque &c.* quotus eſt, qui, ut M. Tillius, hos militares animi motus infra ſe deſpectos habet, vitia pedibus calcat, *ſe ſibi ſubijcit?*

Ego,

Ego, quia videbam Symphorianum obrui his argumentis, in partem veni, & ſimulans ferendas ſuppetias: non eſt Symphoriane, dixi, quod ab Alphonſo commoveare. quis negavit, affectus animi rebelles edomandos eſſe? Ducis intereſt cujusvis, ut à nullo obliquetur; & duobus in campis, uno eodémq; tempore bigeminam reportet victoriam. Quantum intelligo, bella in ſenſum cadentia, veróque ferro dividenda diſputantur: quibus ego nihil utilius ſublata pace, nihil magis neceſſarium pro recuperanda eſſe judico.

Si vitam militum, Alphonſe, arguis; vide, ne piaculo te hoc in loco obſtringas, M. Tillio ſacer. otia vitiis ſcatent: bella tubæ ſupremi Judicij admonent, docéntque, impenſis non diuturnæ vitæ æternitatem ſibi comparare. Dicas: *continuò in acie ſtare coguntur.* Atqui hoc ipſum eſt, quod exacuit illorum decus. *Diſtinentur perpetuis imperiis:* placitis dicas. nam veris militibus Ducum imperia, placita ſunt. *Rariùs divina cogitant*: id quorundam militum, non militiæ vitium eſt. Reperias etiam, quorum galeæ ſancta capita premant: quorum criſtæ virtutum ornamenta ſunt, cingulum caſtitatis ſignum, turbati ſparsíque crines non tam faſtuoſæ ferociæ, quàm ſeduli laboris indicia. *Perpetuò in campis degunt.* beati, quòd non in urbibus: has enim, non campos, effeminat luxus. *Moriuntur in campis*: ergo efferri non debent. deinde multùm

Aliis ex capitibus accerſita bellicæ vitæ laus.

ſcilicet intereſt, in campo an in urbe cadas aut putiſcas. Sol omnes mundi plagas percurrit: cælum omnes tegit. poterit miles hoc ſarcophago, quo tegatur, contentus eſſe. Jam verò quàm miſerum eſt, expertem vulnerum, domi conſeneſcentem mori in ſponda! adſtant medici & de arte ſua conqueruntur. quare naturæ ſuum privilegium ſerò reſtituunt: hanc jubent operari. quam debilitaverant triſtibus poculis, cymbiis exequialibus, inamœno rore: ſubitò inclamant, ut ſe erigat, ut officium faciat, ut humores malignos conſumat. hoc ſi non præſtet, conclamant. Flet uxor & liberi gemunt, inſcij ſæpe cauſſarum. pyxides ollæque fartæ pretioſis liquoribus fruſtra mutantur: ſequitur membrorum tremor: convulſa corporis compages fatiſcit, & ruinam denuntiat: nubila mortis toto ægri in vultu ſedent, minantur oculis noctem, qui infeſta albugine obſtantes verberant. mox tota clades: & jacet. ergo ad arcam. Milites horum omnium malorum penè immunes ſunt: quibus pulcher vitæ neglectus ſecuram libertatem parit; & honeſta mortis cupiditas non ignobilem donat mortem, tubis tympaniſque ac militari plauſu ſtipatam. Placuit defenſio mea Symphoriano, qui inſtituti ſui rationes proſecutus: non hoc, Alphonſe, tecum contendo, inquit, ſolos milites gloriâ dignos eſſe: verùm id non video negari poſſe, quòd bellica laus, quemadmodum pluribus obſidetur periculis, ita ſublimiùs efferat

Digitized by Google

ferat, alata volantibus in galea criſtis. Eſt aliquid, fortunam vitámque contemnere: non alligari Parcarum nigris albisve ſtaminibus, non formidare illarum aniles manus; & ad vacuam colum tremere, aut plenam amare: velut ſtolatus Alcides in longo ſyrmate colum Joles inſaniens baſiavit. pudor! Terminos naturæ præſcriptos non odiſſe, id demum ſapientis animi eſt. tam ſeveræ cogitationes, hominéque dignæ, in omnia exempla virtutis generoſos animos laxant. attolluntur hi talésque virilibus præceptis ſupra mortalium ceterorum conditionem: qui, ubi audiverint horum virorum facta, ſtupent, & dictitare ſolent: *Non credideram: Itáne hoc ille? & mortales id audeant? ut quid ita vitam prodigunt?* ſed nempe ignavia ſic balba de nare loquitur, quando improba lance fortium virorum trutinat famam. Gloria laudat, inſtigat, non ſolùm timidè miratur: proponit exempla: jubet Caij Julij Cæſaris milites ſpectari; quos ſi tu, Alphonſe, excutias, videbis Acilium in Maſſilienſi pugna inſilire in navim hoſtium; truncata dextera manu, ſcutum in ſiniſtram transferre: hac amiſsâ, ore dentibúsque (ô arma!) proram admorſam retinere, & vincere. miraberis Scævam ad Dyrrachium oculum, ex teli vulnere defluentem, calcare, clypeúmque centum & triginta ictibus perforatum prœlio efferre. Laudabis illum militem, qui per medium agmen hoſtium in Britannia penetrans, fluvium armato corpore ſcidit at-

Milites C. Julii Cæſaris.

que

que enatavit; illud tantùm apud Cæſarem conqueſtus, quòd ignaviter ſe geſſiſſet: quippe ſcuti apud hoſtes relicti oblitus. Numerabis alios plures in annalibus Urbis, qui vel effoſſo pectore violentáque manu occumbere maluerunt, vel flammis taureisque excruciari, quàm datam fidem fallere. Diſce & alios.

Luſitani. Luſitanus dentibus excuſſis, explodenda oneravit

Germani. metalla. Theuton duellum hoſtile differt, dum urbem obſeſſam liberaverit. quâ in tuto poſitâ redit ad privatum certamen, & Luſitanum in defendenda urbe tantiſper ſocium, finitis induciis, velut dilatum tantum-

Hiſpani. modo hoſtem obtruncat. Hiſpanus ſicco vultu ex arce, quam dedere nolebat, vidit à Mauris unicum

Galli. filiolum ſuum membratim lacerari. Gallus, cùm etiam falsò illi fuga obijceretur, præ mœrore contabuit.

Noſtro hoc Martio ſæculo quot pugnas vidimus, tot exempla penè numeravimus memorandorum in omni ævo facinorum: Facies honeſtis cicatricibus ſuperbas, diſculpta vulneribus pectora, callis extritas manus, capita tonitru fulminéque tormentorum contacta, quis, ſi videat, non ilicet agnoſcat & veneretur habitantes in iſtis corporibus animos? intelligat, eos arduum aliquid moliri, quod in plebem non cadit? Hebetes mentes obtundit iſte fulgor armorum; & verum gloriæ ſtimulum non ſentiunt obtuſa pectora. Nam quod aliqui ſpiſſa ſolum ingenia & ad litteras inepta,

inepta, bellis damnare velint, nimis putidum eſt, & ſeipſum confutat ſatis ignominioſum probrum. Noſtri ævi bella ingenioſos Duces requirunt. Quos ſequior genius ſtudiis abarcet, aut maligna natura prægravatos caliginoſis nebulis ſtipat, plerumque in Duces non evadunt. invidia inundabunt ſe, & dedecorum pluribus rixis, qui abſque exerto ingenio, judiciique maturitate emergentes, jam ab infimis rebus, ad has trabeas atque imperia aſpiraverint. Ubi conſilia? ubi ſtrategematum felix ſucceſſus? ubi alii doli aſtúsque bellorum in hebeti Duce aut milite, quorum ſcilicet caput ſtupore torpens & corneum eſt? Argutus ergo ſit oportet, cui armati honores placent. ſit fortis: palpitantes enim animos non intrat robuſtior voluptas, pulverulentæ virtutis comes. Sit cautus: neque enim ſolo ferro, nec ſolis conſiliis evincet. inflecti debent hæc armis, ut conſurgat ſperata victoria. melius tamen ſemper eſt, ferrum potiùs quàm conſilium deeſſe. Sit felix: fortunam enim Ducis facilè accuſant milites. nil turbatè exigat: in partem curarum non nimis multos vocet, neque etiam ſolus ſibi uni indulgeat. Vides igitur opinor, Alphonſe, quanto labore, induſtria ſolertiáque bella conſtent. Si jam pro Reipub: ſalute ſuſcipiantur, ſi opportuno tempore, ſi cauſſis juſtiſſimis, ſi opulenta in terra; geminatur & felix militum vita, & belli ſtrenuus honeſtúsque uſus.

Noſtri ævi bella.

Habemus gratias tibi, Symphoriane, medius fidius fortiſſime, ait Alphonſus. equidem tu, cùm litteris operam dabas, vel ſolus in conquirendas militum laudes defenſor egregius incubuiſti, vel nunc te omnes bonæ Muſæ ex tempore juverunt. Ingrata ſit Bellona, ſi non Oratorem hunc ſuum ampliſſimis ornet muneribus. Advertit hæc Symphorianus, non ſine ſarcaſmo adjungi, & parabat retorquere; niſi inopinus trium Dearum adventus amicam litem compoſuiſſet.

Tres aliæ Deæ ad Parentalia adveniunt. Gallia.

I. Princeps Gallia ibat: Diva, ut verbo dicam, formoſiſſima: facies decora & mira majeſtate amabilis: ex æquo animoſa & venuſta: ſcriptura genarum elegans: capilli inter nigrum flavúmque medij, ſed radicitus boni: qui partim decurrebant, partim ſerico nodo cohibebantur. quà in orbem turbinatus apex involucrum crinale facit, hæſit acus comatoria: quà ab aure reliqua coma neglectim labens deſcendit in humeros, prominebat ſpina argentea, cum peregrino unione contra quamvis gemmam æſtimato. palla coloris optimi, ſummáque opulentia tumens, aduſque ſuras defluxit, liliis affatim diſtincta candidiſſimis, in limbo vacillare videbantur proceloſa auri ramenta, ita ab arte infuſa, ut æſtum maris referrent, incumbentia in atteritas flaviſſimi ſideris ſpumas. Præteriens Gallia tumbam, exquiſitiſſimo geſtu manuum, totiúſque corporis obſequio officium humanitatis cumu-

cumulavit: & lilio ſuper funus jacto, media Dearum conſedit.

II. Roma ſancto decore venerabilis, & elegantia quadam ſeveriore conſpicua, utique principem locum tenuiſſet. verùm diu immota in cæleſtium, ut rebamur, contemplatione rerum ſtetit, tumulíque fixo conſpectu. Geſtavit illa chlamydem, cui illuſus Tybris è textili argento derivare aquas viſus, impingebat adumbrato littori jocoſos fluctus, & extenta manu iterum revocabat in nativum gurgitem. juráſſes vivere ab imo fontem. littora ex oſtro aſſurgentia, aquæ vitreæ, urna argentea: ipſe cæruleus emergebat conchæ incubans: glauci oculi, frons lentiginoſa, naſus exundans, barba in ſcaturigines floccis rorantibus depexa, toga candida defluxit, operoſo motu ad ipſos Deæ pedes ſymbolum nutritæ Urbis oſtentans. namque in ejuſdem togæ rugis, ceu ſeptem vallibus, reptabant Romulus ac Remus belluæ lactanti imminentes: filis quidem adeò vitalibus picti, ut ea non niſi ipſas compoſuiſſe Parcas crederes. imò puſionum unus facie benigniore, ut videbatur, ſolerter expreſſus, vincebat alterum formâ. plauſit ille teneras fraterculi ſui plantas ludente manu, tanquam ominosè. cetera in habitu vultúq; hujus Deæ omnibus ſanctiora, multam amœnitatem dignitatémque novæ Romæ ſpirantia. fuſcus color gratiis plenus, tanquam à fumo ſacri thuris proveniret. honeſtiſſimus oculorum fulgor:

Roma.

Digitized by Google

gor: vice caſſidis vittarum nexu crinis incinctus, dextera manu ferebat faſtigiatam ex gemmis mitram, claviúmque aurum, ut ita dicam, cælorum patulcium. Ante pectus, ubi ſanctior veſtis celebri nodo irrugata vinciebatur, colluxit carbunculus miro candore vehemens, & emblemate ſculpto peculiaris: nam aliorum ſeu lapidum ſeu colorum patiens mixtura temperatas effigies oſtentavit: quas inter genios obſervavimus ingenui mellis ſtillas lambere, depulſo lacte altricis Romuli lupæ, ab hoſtili globo apium obſeſſæ abactæque à ſanctis jam mœnibus, & meliorum cultorum copiâ frequentatis. Atque in hanc ſpeciem Roma inceſſit, omnium in ſe oculos convertens. quare etſi tardior, ut dixi, venerat: nihilominus venienti aſſurgentes Deæ reliquæ ceſſerunt.

Alemañia. III. Alemannia ſedere, cauſsâ aliarum politior detrectavit: gaviſa, hoſpites Deas commodo in loco exequiis intereſſe. Hæc exercitato vultu rigidior, nequicquam tamen odioſa, priſci cultûs candoriſque multum oſtendit. Eminebat ex illa integritas morum, pulchritudo naturalis, ſine fuco & ſtalagmate; negligentia tamen vel incuria quadam corrupta, ac ſqualore notabili deformata. Lata frons ſinceréque ſibi conſtans, maturæ prudentiæ exculta ſedes. oculi grandiores, illique lacrimoſis pluviis, ut apparebat, nonnihil deſtructi: denſa ſupercilia, crinis turritus, in occipitio theatrali quodammodo gradu ſuggeſtus ac con-

conſurgens : quem infixus decenter pugio diviſit. Alemannia ſic funus affata eſt :

M. Tillius ab Alemannia laudatur.

TV belli ſublimis honor : ſic judicat hoſtis.
Optata tu pacis amor : ſic æſtimat orbis.
Te vivente, nihil, multis licet obruta curis,
Extimui : nam cæde rubens & ſqualida luctu,
Solabar me Marte tuo. capitíſque ſevero
Erexi crines madidos Alemania Rheno.
Te moriente, dies obſcuro condita peplo
Solis iter fugit, rurſúmque ululanda ſub undas
Deſcendi prono ſupplex Alemannia vultu.
Te pugnante, tubas inflavit vividus aër :
Et (ſcis ipſe) Deus, Deus in tua prælia venit.
Te vincente, nihil ſævi clementia vidit,
Nil crudele minis, nihil illatabile factis,
Sed miti ſermone pium per conſona caſtra
Absque ſuper vacuo captos mulcere tumultu.
Quem pugnans timuit, miles devictus amavit.
Cùm furor incaluit, primus tu ſtringere ferrum :
Quo victor ſopire tubam fremitúmque ſolebas.
Quémque coruſcabas pugna durante cruentum,
Poſt pugnam ſiccum gladium vagina recepit.
O ! verè tutela Ducum, generoſáque magni
Militis effigies, & noſtri gloria belli!
(Dixit, & ad ſacram contorſit lumina tumbam.)

Fabatur hæc, magnifico geſtu adgubernans voces, prorſum eo, quo cum Hecuba ante Priami tumulum ſtetit. ſermo grandis, vultúſque conſpirans, & ambitioſo dolore femineum plangendi modum egreſſus.

Gallia M. Tillij prœlia memorat.

Gallia dudum geſtiens exornare defuncti TILLIJ manes, ubi Alemannia deſtitit; proſecuta eſt funerale præconium. Conſurrexit igitur, & Deabus in ſella compoſitis, perquam politam reverens cærimoniam exhibuit, capite, nutu, oculis, manu, pede eloquens, antequam loqueretur. Dum iret, gravida divitiis palla, criſpata ipſo motu, alliſis identidem fimbriis reſonabat: atque ipſum aurum liliorum margini attextum ſingultire audiebatur. Multa, priusquam ad TILLIUM perveniret, præluſit de Henricis ſuis. Quorum acre judicium, M. JOANNEM DE TILLY commendans, omnium aliorum opinionibus meritò ſit anteferendum: præſertim Henrici Quarti, bellorum gloria, fama, virtute, prudentia in miraculi modum clari. Dein audientiâ factâ, liquida magnáque voce, ac ſi tubam Famæ ori admoviſſet, ita perſonuit.

SI licet in tanto luctu, mea Numina Reges
Henricos memorare meos, manésque beatos:
Et tua laus, TILLY, nunquam magis ore diserto
Nobilitata trahet pondus uenerabile famæ:
Túque meis umbris ſimilem debebis amorem.
Tot fortes inter Gallos ea prælia dextro
Marte ſecundâſti: quæ ſi uel ſola micarent
Inter tot titulos, tibi quos Alemannia fixit,
Auderet nullus tantis certare triumphis.
An referam inſolito pacatos more tumultus,
Quos Argentina mixtos Lotharingia ſenſit?
Illáne bella, quibus felix inclaruit olim
Guiſius, & noſtra celebrem ſe reddidit aula?

Vos

Digitized by Google

Vos rapidi Ligeris ripæ, multóque cruenta
Sanguine, & Alveti loca mortibus horrida teſtor:
Dicite Germani (caput hic Germania movit,
Arrexitque aures) quos urunt peſſima tetri
Stigmata Calvini: quanta cum ſtrage fugatum
Theutoniæ nimbum contortâ TILLIUS *haſtâ*
Reppulerit, rubróque vias fœdaverit imbre.
Dicite vibrato decorati tergora flore,
Quàm valido nervo formidandiſque lacertis
Contuderit frontes perfrictas, qualibus armis
Agmina conſtratis latè fumantia campis.
Ardebant galeæ flammis, ſed corda rigebant
Frigoribus timidis: plena ergo per oſtia manes
Corpore detruſi ſtygias adiêre paludes.
Auditi fremitus animarum, inimica jacentûm
Sibila: calcati pedibus populariter artus
Lernam exſpirârunt! ſic, ſic poſt fulmen inanis
Miles, & exanimis, cineríque admotus hiavit.
Dira ſub effoſſis, & adhuc lugentibus arvis,
Oſſa ſonant, quando glebas proſcindit arator:
Meſſoriſque hebetant inventa cadavera falces.
Quà ſummos apices fert mons Belſcardus in auras,
Enſibus & clypeis exſtructus inhorruit agger.
Vltor Tilliacæ debet tot funera dextræ.
(Dicere plura parans nequiijt: ſive arduus hauſtam
Abſtulerit vocem dolor & luctantia verba:
Sive repentinus lacrimarum affluxerit imber:
Sive aliquid, quod non ſcimus, mæſtiſſima ſolùm
Aſpexit tumbam, multúmque eſt muta locuta.)

Nimirum ipſa Heroum adoleſcentia, aliorum etiam veternoſam ſenectutem erudire poteſt. hæc, ſi factis credimus, Alphonſe, dixi, M. TILLIUS rudibus

annis

annis jam clarus confecerat, teſtante ſereniſſima Regina. Agitabatur annus nati Chriſti octuageſimus quintus ſupra milleſimum quingenteſimum: quo univerſa penè Gallia inteſtinis tumultibus bellóque exitiabili, & ſæpe plùs quàm civili, fœdum in modum exarſerat. Rebus inter Henricum III. & Henricum Guiſium compoſitis, cujus auſpicia ſecutus Tillius, ſub Adolphi Swarzenbergij equeſtri legione alam duxerat; ingenti furioſóque exercitu Germani Galliam inundaverant. Erant hi ipſi, quos Proteſtantes vocant, homines ex Calvini fæce fermentóque ſtigmatici, Orbi Deóque rebelles, in Cæſarem, Reges Principéſque injurij. Sentimus heu! nimiùm, intulit Alphonſus, impuriſſimæ Sectæ nunc, ſi aliàs unquam, nefarios conatus, hoſtili rabie omnique ſcelere imbutos: cujus unica molitio ſpectat ad arma & vaſtitatem Imperij Romani. ſiquidem clandeſtina conſilia tubis efflantibus, palàm fecerunt, quid multorum annorum in Catholicos odium furórque ſuperbiâ flagrans coxiſſet. Auſi ſunt (quid enim eſt, quod non audeant?) verendas Aquilas, tótque ſæculis religioſiſſimè cultas aggredi: útque poſſent convellere, arcana moliti, pectoris tumultum ſolerter celaverunt; & armatæ pacis titulo colorati, interea ſuum Equum Germanico-Trojanum phaleris politiſſimis exornârunt, in ipſis foribus Cæſarei Palatij conſtituentes. Paucis multa dixiſti, Alphonſe: more nimirum Laconico, ſubjecit Sym-

Hæreſis Calvini, fœdum Galliæ & Alemañiæ malum, oppugnavit M. Tillius.

Symphorianus. Ego: his quàm ſimillimos illius qui perduelles cogitate, qui inſtar nimbi, præcipuè ex Palatinatu, effuſi, cùm celeritate, tum violentia graſſantes, Hugonotis (quippe nomen tantùm in ſcelerata colluvie mutaverant) trans Ligerim bellum gerentibus ſe jungerent. Quid ageret hîc Tillius? Hugonotarum copiis ad Alnetum & citeriorem Ligeris ripam à Regiis ingenti clade deletis, ipſe reliquias Duce Guisio ad limitem Germaniæ & montis Belicardi agrum inſecutus, ne catulum quidem ex peſſimo genere reliquit. Exinde ſub Lotharingo Carolo meruit, Jametiana expeditione clarus; illóque bello, quod Argentinenſes diverſa factione colliſit: dum ij, quos penes Epiſcopum eligendi jus eſt, in varia ſciſſi ſtudia non convenirent. Catholicis Cardinalem Lotharingum, Acatholicis Brandenburgici Septemviri filium deſignantibus. Quæ bella magna cum laude atque prudentia geſta, quatuor equeſtrium turmarum præfecturam contulêre, etiam ad Regiæ familiaritatis Sacramentum admiſſo: quando eundem Henricus IV. licèt hoſtis, acerrimis prœliis, Arcuenſi ad Sequanæ oſtia, & mox Juriaco in Neuſtria ob fortitudinem inclytum, pace facta in ſuas partes trahere non dubitavit. Quid? quòd Tillium, quanquam hominem exterum, Dux Lotharingus ob res præclarè geſtas, præfecturis inſignibus Dunenſi & Villafrancana donaverit, ea maximè ratione permotus, ut in ſua ditione

 for-

fortiſſimum feliciſſimúmque defenſorem retineret. His itaque calidior tanti Ducis ætas inſudavit prœliis. Imitatus eſt Hannibalem, ait Symphorianus: quem tactis aris ferunt à puero ſe imbuiſſe crudis bellorum rudimentis: inſuper ea juvenem meditatum molimina, quæ virili dein ætate robuſtior, majore cum nervo torqueret. fuerint hæc Gallica prœlia virtutis atque fortitudinis qualiacunque ſigna tandem, præclara atque manifeſta: ego tamen illa ſemper inter præludia numerabo. Alemannia, antequam Gallia loqueretur, quid dictura eſſet M. Tillio dignum, videbatur ſolicitè & diligentiùs attendere, penſabátque ſecreta cogitatione verba. Ubi dignitatem rerum percepit, modúmque canendi: quaſi ſemetipſam incuſans, quòd ingrata minus præſtitiſſet, quàm aliæ; calore nôvo in vultum convocato, Tillij laudes bellorúmque apud ſe geſtorum varietatem, multiplexque ingenium ita explicuit.

Contendit Alemannia, M. Tillium fortiorem Romanis Ducibus eſſe, uti ſua quoque bella graviora Romanis: paucos proinde reperiri, qui ſecundùm Tillium à Marte fratres nominari mereantur.

Non Veterum pugnas, & mundi funera planctu
Elevo: nec Trebiam contemno, nec Allia, nec qui
Implevit ſtagnante Lacus Capitolia tabo.
Id contendo tamen (dictu reverentia veri,
Aſtraaque manus momentum ponderis addant)

A no-

Digitized by Google

A noſtris bellis tantùm diſtare vetuſtas
Temporibus noſtris quantùm quoque tempora diſtant.
Iactet Roma ſuos, (Roma hoc non audiſſe, ante
Funeris aſpectum perſtans, fixiſque verendum
Contemplata oculis. Verùm eſto: audiverit, eſto
Invita: in faciem dici hæc præconia poſſunt.)
Iactet eos igitur: tam quos nutriverat Acca,
Et lupa lactavit: quam quos in templa reverſos
Regibus expulſis, & ovantes hoſte ſubacto
Sextum Conſulibus duxit comitantibus agmen.
Ponte natans ſecto Coeles ſpectacula fecit:
Conſtruxit ſubitò pontem non TILLIVS *unum.*
Mutius in flamma, per flammam liberat urbem:
Ignibus à ſtygiis incenſum TILLIVS *orbem.*
Non potuit Brutus Regi parere ſuperbo:
TILLIVS *excuſſit ſceptrum brumale tyranno.*
Fabricius pace oblatum contempſerat aurum:
TILLIVS *ex præda collectum reſpuit aurum.*
Stat defenſa ſuo rupes Tarpeia Camillo:
Nunc quoque morte tua, TILLY, *casúque tuo ſtat.*
Corvinus victis ſemper poſt bella pepercit:
Nullius meruit poſt prælia TILLIVS *iram.*
Cunctando Fabius lentatum macerat hoſtem:
Conſiliis ſcivit vafris quoque TILLIVS *uti.*
Scipio Pœnorum fallaces contudit aſtus:
Sæpius occultas eluſit TILLIVS *artes.*
Luſtrales animas Decij effudêre duello:
TILLIVS *impendit veris ſua vulnera bellis.*
Ille gubernavit ſecurè Martis habenas:
Quas modo laxabat, modò conſtringebat, ut ipſe
Solus in his docilis poterat. nam muneris hujus
Conſortes nullos habuit ſociòsque triumphi.
Nec tantùm teneros Perſas, quibus omnis ab auro
Venit honos capuli, vaginâque cincta ſmaragdis,

Veteres Duces.

M. Tillius graviſſima bella ſuſtinuit.

Congreſſus fudit, ſeu quam de mollibus arvis
Boſphorus imbellem deducit in agmina Lunam.
Arma viróſque Vir armatus, metuendáque fudit
Dux metuendus, & ingentes ingentior hoſtes.
Bellum Pragenſe. Vt mihi gaudenti ſeſe jam Praga rebellis
Objicit, & ſtellam, quæ lubrica ſanguine fulſit
Diriùs, incluſáque feras conterruit horti:
Turlacenſe Vt ſtolido terrore ferox Turlacius arma
Concrepat, & rigidos, ſilvam velut hiſtricis, axes
Bellatrix W impſena quatit. formidine grata
Cor tremit & veteres perplexa revolvo timores.
Contemplor rigidas acies: uligine putre
Calco ſolum, & fragiles cannas. Cannáſque rubentes.
Halberſtadianum. Vt ſe Halberſtadius celeratis paſſibus infert,
Non niſi mactato poſiturus Cæſare ferrum.
Sacrilega dant jura manus; merguntur in ora
Crudeles gladij, colliſque impacta ſecuris
Crebra rubet: denſi ſtrident ad funera manes.
Ipſe autem Regale tumens, cum Numine Divos
Infeſtat Proceres; ipſiſque aſſibilat aſtris.
Sed Mæno teſtante cadit, viditque cruenta
Strage inarata ſuos creviſſe Echsfeldia campos.
Te quoque Danorum buſtum fatale, Lutherum
Cimbricū. Efflantem cineres, congeſtáque conſpicor oſſa.
Moverat immanes tempeſtas Cimbrica fluctus
Regali Tritone ferox, cùm penè quièſſent
Prælia, & in Martis dormirent feſſa grabato,
Ingenti Saxo) ſtagnum, infameſque paludes
Deſeruit, noſtris auſus concurrere telis
Cimber, & audaci flatu irritare leonem.
Et jam porrectis per campos cornibus ibat
Immodicus, latéque minas ſpargebat in Vrbes.
Cùm meus opponit demum ſe TILLIVS, & ſtat.
Stant utrinque acies. (ac ſi iſthoc lumine cernam

Præ-

Præſentes acies, & adhuc à ſtrage feroces.
Præſertim Vulpem, quæ pellem exuta dolóſque
Deſiit Imperij geminas gannire per aulas.)
Pugnatur. Vincit, qui ſic conſuevit. in algam,
Quos fuga ſervavit, patriam fugère, ſuúmque.
Nunc etiam Marium didicerunt vivere Cimbri.
Scilicet hos Virtus domuit robuſtior hoſtes.
Hos, inquam, quibus arma furor rabiésque nocendi
Sæva miniſtravit: Cadmæi ſemina dentis,
Ætnæos fratres, & monſtra immania terræ
Subdidit Imperio. facile eſt, hoc credere famæ
Narranti: audacem porrexit cautus, inertem
Strenuus, argutus ſtolidum; robuſtus & acer
Infirmum ac ſegnem, trepidum formidine fortis,
Denique multi unum. facile eſt, hoc credere famæ.
At non hoc avo noſtro. ſors altera belli
Exijt in campum. majora pericula præſens
Biſtonio Gradivus equo, deterrima vexit
Prælia, & impulſas fatis pejoribus haſtas.
(Audijt & mæſto protruſit ab ore cachinnum:
Mallem ego ploráſſet: tantus fuit horror in illo)
Vincere vel tardè, vel non conſtanter, & hoſtem
Vincere cum damno, vinci fuit. immò ſubinde
Vinci, vincere erat: mutatas ordine miro
Alternante vices, & nunquam ad limina Iano
Stante eadem. quare plùs quàm mortalibus armis
In me certatum eſt. ſed in hac & in illa paratus
TITLIVS audaces ferro, temeréque vagantes
Adventu ſubito, furioſos debuit irâ
Opprimere, & celeres veloci prendere curſu.
Conſilio aſtutos ſubvertere, nocte latentes
Eruere in ſolem, fingentes fallere, furta
Ingenioſa novis, textáſque retexere fraudes
Fraudibus oppoſitis. ſcire & fugientibus uti

Digitized by Google

Et timidis, ſolúmque metum ſimulare paratis.
Non eſt in quovis, non eſt in pectore factus
Ex virtute adamas. ſimilem ſi multa vel unum
Oſtendêre Ducem conſtantia ſæcula ferro:
Convivæ Martis pauci. *Hoc ſatis eſt. ſiquidem pauci prandere merentur*
Cum Marte ad Rhodopen Hebrúmque, & dicere: Frater!
Hanc glaciem ex galea libo tibi ſanguine mixtam.
Reſponde, & bibe ſis: magna cratera ſupina
Caſſidis, & totum fuſo te prolue tabo.
Dein ſimul in Dacos, Cimbróſque movebimus arma.
Frater! mutemus clypeos. (jam latior ore,
Riſus difflabat Martem, ſed ſemper amari
Iratique aliquid ſervat, nimiúmque virilis)
Frater! & umbo tuus mihi convenit: aſpice, quantùm
Hic deceat gladius. viden', an mea lancea major.
An tua ſit? noſter non eſt tam frigidus enſis:
Stragibus incaluit: quin tu quoque mortibus uris,
Expellisque gelu? ſimul irrumpamus in hoſtes.
Nempe quis hæc dicat Marti, niſi TILLIVS? *& quem*
Talia jactantem de ſe ferat ille, niſi illum?
Cedite Marcelli Curiique, & dura Catonis
Majeſtas: & qui Romanis cladibus olim
Cannarum memores, patria poſcente, vacâſtis.
Vt vos non ſperno; ſic nec præponere poſſum.
Si tamen in noſtrum transferri nomina bellum
Veſtra placet, prædico: opus eſt patientibus Vmbris:
Quas nullo ſtimulet non debita gloria faſtu.
Agmine nam longo præcedet TILLIVS *omnes.*
Ac poſt hunc primum, Roma & Carthago ſequetur:
Vos quoque.

Obſervavimus ſtudioſè, dum hæc canerentur, totis vultibus in Romam imminentes, probaret iſta, an abnutans ſignum daret ægritudinis aut diſplicitæ jactan-

jactantiæ. Nihil notatum eſt. quin ubi potiſſimùm ſperavimus ægriùs laturam, ſereniſſimè annuit & gaudebat vinci, Chriſtianæ Reipublicæ bono. Et verò negare non poſſumus, bella hujus ævi præcedentia multùm ſuperare. ſive hoſtium perfidiam ſpectes, quæ ſumma eſt: ſive tortuoſa ingenia, quæ tam abſtruſo receſſu ſunt abdita, ut vix, vel ne vix quidem poſſint ſuffodi: ſive magnitudinem molis, quæ toti Europæ incumbit: ſive numeroſum exercitum, qui cæſus, ut hydra, ſemper pejora capita ex fœcundiſſimo trunco ſurrexit: ſive denique diuturnitatem temporis; ætate Trojanum excedunt, Punicum fraude ſuperant. non urbs tam ſecura, non arx tam munita, non regnum tam potens jam reperitur, quod vel proditione capi, vel viribus expugnari, vel hoſtilitate frangi non poſſit. quanta varietas in fraudibus? quàm multiplex temeritas audacium? infeſtorum hoſtium quis furor eſt? vidimus tamen ipſi Suecicos conatus, quos efferatus miles, & tanquam cogente inſania raptus, in obſidione Ingolſtadienſi conſumpſit. Unde hic furor, niſi ex Erebo? Percrebuerat antiquitus, & ante luſtra ſex aut ſeptem nondum deſierat fama, Martis ingenium penitùs deprehenſum exhauſtúmq; eſſe. Vah! ut quid puerilia noſtris bellis commiſcentur prœlia? perpendenti mihi tranſacta, & præſentia cum præteritis comparanti, noſtrorum temporum bella aliquid peculiare habere videntur, quod de alio-

Bellum hujus ævi multiplex, verſutúmque ingenium vetera ſuperat.

rum

Digitized by Google

rum ſæculorum velitationibus dici non poteſt: in quibus vel cauſſa diſpar, vel non idem prœliandi modus, vel alij Duces, vel minùs atroces eventus, vel tam arguta atque pernicioſa conſilia in rerum natura non extiterunt. Plerumque Veteres aut ſolo ingenio pugnârunt, aut ſolo robore; rariùs in utroque efficaces. hoc ævo certat, ut dixi, vis argutiâ pollens: miſcetur calliditas fortitudini: in unum conſpirant dolus & virtus: faciliùs ineuntur prœlia, hoſtes difficiliùs ſubiguntur: his ſubactis, petulantiùs exercentur victoriæ. ita ſenſerat Symphorianus, ut M. Tillij erigeret glorioſos in hisce bellis labores, ac fortaſſis ipſe etiam nonnihil ſincerioris famæ in ſe derivaret; ut qui pluribus prœliis ſtrenuè interfuiſſet.

Ego viciſſim Symphoriano: extolle ſis, quantum velis & audeas, me non refragante, horum temporum bella. Mihi æterna Sapientia, providè atque ſigillatim pericula diſtribuens, admiranda magis videtur. Penè jam decimum quintum annum Marti impendimus: ex quo Praga novi Jani portas, feneſtras, inquam aperuit, de quibus Cæſareos Gubernatores in ſaxa præcipites dedit. cum illis bella ſurrexerunt: ſed proceſſere pedetentim, curſum, gradus, veſtigia, Numine ſignante: non totis viribus irruere permiſſa, molem lentiùs traxêre. Primùm Juvenis ſubſultans venit, regalem hyemem exorſus. quo quidem tempore, ſi fortuna faviſſet, aut celeriora conſilia, majorique

Providentia Dei admiranda in his Alemannicis bellis.

rique potentia hoſtium nequitiam corroborâſſet; non haberemus fortaſſis hodie, Symphoriane, quod de Romani Imperij ſperanda incolumitate, vel loqui poſſemus, vel conſulere deberemus. deinde alij atque alij venerunt defrenati eo tempore, quo nocere volebant, vinci poterant. Sequebatur alter alterum, & in campum deſcenderunt, ut in tragicam olim ſcenam ſaginatæ victimæ, ibidem mactandæ: aut in arenam Gladiatores à Munerario ſpectaculum populo dare juſſi. adfuit audacia, defuit belli nervus: adfuit iſte, conſilia deerant: ſimul hæc data ſunt, fortuna deluſit: hac favente, non convenêre Duces: principum implorata poteſtas, confuſáque rabies ſeipſam vix ſuſtinuit: perduelles autem Imperij civitates, neque tanta cum impudentia, neque tam aperta inſania furere audebant. Ubi hæc omnia conſpiravâre: mirum dictu! defenderunt Cæſarem illi, qui oppugnaturi ſperabantur: & defenderunt tamdiu; quouſque, ſed minore jam cum periculo, etiam ipſi oppugnarent. Tandem & barbarus hoſtis, cùm videretur domeſticus deficere, ex mari eluctatus, in noſtram terram transportavit exercitum numero magnum, celeritate promptum, ferocem ſucceſſibus. cedò: ſi moles iſta ſimul in Romanum Imperium incubuiſſet; nónne ad internecionem parvo tempore deleri poterat? Veruntamen, quod antè commemoravi, bellum iſtud ab ore gladij divini pependit, punientis reos, liberaturi afflictos. hoc tam

ſtrenuo remedio, ægra Germania reſtitui Romanæ fidei, atque in veterem dominandi uſum, ſpémque ſalutis revocari debebat. Bellum hoc, ut fluvius aliquis rapax & ſanguineus, non conferto gurgite per regna ſtagnavit; ſed ſcidit undas, ſparsisque & diffuſis quaquaverſum brachiis in purgandas provincias fluxit.

Duces perduellium à Catholicis multùm diſcrepant.

Jam ſi Duces hoſtium cum noſtris comparemus; nemo non advertit, benigniùs Catholicis proviſum fuiſſe. plerique illorum priùs dilapidaverant opes ſuas, & evoluto per furioſum luxum patrimonio, cogebantur in rapinas ire. Noſtros Virtus excitavit ad prœlium, & jus honeſtiſſimæ defenſionis. illi ſola audacia faſtúque freti, conflatos ex transfugis trahebant exercitus. Noſtri bona cauſſa animante fortiores, auſpicibus Aquilis & Leonibus, ferrum ſtrinxêre. fulſerunt in Catholicis vexillis Chriſtianæ pietatis ornamenta, Spes unica Crux, & ſecundùm hanc altera ſpes Maria de Victoria. Denique cùm illis ſuperbè imperitarent Erneſti, Obertrautij, ſimiléſque his Sparticis non pauci: noſtrorum agmina ductabant Tampierij, Bucquoij, Tillij. M. Tillium cùm nomino, abſolviſſe mihi videor bellorum curſus. Quàm providè deſtinatus eſt ingens Heros his prœliis? ad quæ ipſum priùs imbuit Belgium, erudierunt Galliæ, Hungaria exercuit: ut inſtructiſſimus nimirum arte & manu veniret, in Rempublicam natus factúsque, omnium Saluti devotus. Non eſt, Symphoriane, ut æqualem

illi

illi Ducem amplius exſpectemus. idque pronius mihi perſuadet abſoluta omnibus numeris virtus, quam ad juſtitiæ libram gladiíque ſuſpenſum pondus examinavit. Æqualiter ſe habere in diſcriminibus; affectibus, qui diripiunt animos, ratione compoſitis dominari; bonam fortunam ferre poſſe, & iratam non timere; animi ſolius eſt, quem rara ſublimitas, naturæque vividæ privilegium communibus exemit malis.

Parabam adhuc plura fari. Sed intervenerat divino paſſu gradiens Heroina. ex inceſſu patuit tralucens regaliter animus. Alphonſus ſtatim in aurem mihi: Sacer tibi ſim, niſi hæc Dea Belgium ſit. Agnoſco vultum, mores, inceſſus: erat certè egregia. Si haſtam Meduſámq; in clypeo protendiſſet, Pallada credidiſſem: ſi arcum & ſagittas, Dianam: vel ſic tamen ab utraque Dea multum torui decoris traxiſſe viſa eſt. Corpus magnificum, procerum, elegans, animæ ſcilicet militaris regium caſtrum. Vultus, qui luctum decet, ſeverus & tamen bonus. Luminum vigor inſignis, ſed recedentes ſub frontem paullò trucius vibrabant, quàm quis in femina ſperaret. Nubila frons, nec ſine rugis: quas quidem lubentius aſpeximus, quàm frontes planè æquoreas: ita enim illæ rugæ inſederant, ut à natura, etiam in horrore voluptatem quærente, juràſſes inſitas: & prodebant conſiliorum ad bella ſpectantium perpetuas minas, nullum niſi hoſtem læſuras, & ſemper habituras. Cæ-

Advenit Belgium ad Parentalia.

 ſariem

ſariem magna galea oppreſſit, temerè, ut apparebat, quaſi inter feſtinandum injecta; ejúſque anteriore parte ad ſiniſtrum tempus obliquata, criſpatus ardenti metallo conus in auras exibat: cui inflexa ſublimis criſtæ acies inclinato iterum faſtigio in humeros delabebatur. Siniſtra manu geſtavit clypeum, in quo Mars cælatus currum urgebat ad Rhodopen, haſtâ equos increpans. Quadrijuges adamante conformati; haſta ex ferro & chalybe. Ipſe Deus è pyropo fabrefactus, iratum numen vel in parva ſpecie exhibuit. Rhodope electro, ejúſq; nives cryſtallo conſurrexêre. legebantur etiam unciales litteræ: S. P. M. B. D. D. Placuit Alphonſo patria Dea, illíque medullitus hunc nativum fulgorem gratulatus eſt. & ad me: ne exſpectes, inquit, molles gemitus, aut femineos ſingultus. dolet equidem; ſed aſſueta funeribus, contemnit lacrimas. Cur igitur, ſubjeci, tantâ diſcordiâ mutat vultum oculorúmque notabilem inconſtantiam? quid excuſſiſsimæ identidem manus, flagellatæque in crucem? veſtigia, & acriter, & ſæpius, & celeriùs mutata, quàm par eſt, ſignificant non parvi doloris copiam. Crederem fatidicos ſtimulos ſentire, ſi decuſsâ galeâ, vitta laurúſque capillos necteret. Tum ille: an tu exiſtimas ab Apolline non amari? vel qui maximè. non uni tantùm Deo ambitionem & amorem movit: placuit pluribus. prœliatur & ſcribit: duplici canit tuba: ſcit utraque manu facere. Vix hæc: cùm Belgium, pro-

projectâ haſtâ, ingenti ſuſpirio diduxit os, & flevit, ita ut Alphonſus miraretur. Mox ſecum obloquens, raptum animum in diverſa prodebat. deinde in protruſa dolor verba vehemens ivit, aëre in ſibilum contortis manibus eliſo.

Belgium variis animi diripitur perturbationibus ob M. Tillij mortem: quæ tamen ejus virtutes, quibus poſt fata carere debuit orbis, clariùs oſtenderit. ad extremum cùm tam Guſtavum, quàm Tillium exercuerit armis, utriuſque ingenium & modum pugnandi pandit.

HVnc igitur potui poſt tot mea fata dolorem,
Et tantum ſperare nefas à milite Sueco?
Ille ingens animus mortales exuit artus?
Condite jam ferrum, qui ſic meruiſtis ab hoſte
Proſterni, ut Ducis unius jactura ſubiret
Cæſorum numerum: memorabitur hoc quoque bellum,
Quo cecidit tantus, fatis urgentibus, Heros.
Tu quoque non nimis infelix: qui dignus aheno
Ex ſerpente globum torquere & fundere glandes,
Succeſſum jactare potes; tantóque ſuperbus
Vulnere, Vandalicis cum laude excedere caſtris.
Plus ſpolij fortuna dedit, quàm poſcere vota
Debebant. quiſquis tamen hoc te crimine lætum
Feciſti, nocuiſſe puta tibi gaudia culpæ:
Et Martem Nemeſinque time, propriόſque lacertos.
Heu! quæ ſævities luctûs, quis luctus amoris, Varii affectus Belgii
Quiſque doloris amor mœſtam occupat inter eundum!
Triſtis in affectus feror: atque ut flantibus Euris
Cymba natans premitur, currítque hinc inde repulſa.

Sic animus nutans vario torrente rotatur.
Exultem? doleámne? an amem? an deteſter? & odi
Et cupio. ſimilis quæ mens mihi? plurima ſenſus
Irritant, mutántque vices, mirámque fatigant
Naturam. gaviſa fleo; flens gaudeo: læta
Iraſcor: deteſtor amans, & amata relinquo
Triſtis, & indignans hilares exerceo curas.
Quod Belga in noſtris natus ſit TILLIVS *oris,*
Gaudeo: ſed gemo, quòd fatis conceſſerit. odi
Funeſtum, quiſquis contorſit miſſile plumbum.
Et vulnus tamen iſtud amo: cui gloria tantum
Conciliat ſpatium, penitúsque infringit hiatum
Oſſibus. indignor, quia tali tempore Cæſar
Hunc Belgam amiſit, qui ſi potuiſſet in horam
Servari, mediúmve diem, Ducis halitus unus,
Et quæ ſufficeret vox ſola repellere Suecum,
Reſtitui linguæ; à Parcis debebat avaris
Vita hæc ſexcentis redimi generoſa talentis.
Abſente Tillio viſum eſt, quid præſens Tillius potuerit & fecerit. TILLIVS *ipſe igitur pretium quàm immane meretur!*
Eſt, ubi contemptus major videare, vel abſens.
Eſt, ubi difficilis certarum copia rerum
Auget, & extollit pretium. quo ſemper ubique
Vtimur, & cujus teſtes conſuevimus eſſe;
Denique deſinimus mirari: gloria tanquam
Iam vetus, & languens ipſo ſorbetur ab uſu.
Haud aliter nota virtutis opinio ſenſim
Deteritur, minuitque ſuam præſentia famam.
Sic igitur Lunæ fratrem, Solisque ſororem
Non ita ſuſpicimus: quoniam moderante chorago
Perpetuò redeunt: licèt in maris ima ferantur,
Quando ad Neptuni thalamos inviſere currunt.
Ille diem, hæc noctem ſublimi temperat igne:
Ille ſua, hæc qualem cognato lumine Phœbi
Menſtrua corradit: ſpectandi dira libido

Tunc

Digitized by Google

Tunc urget, centúmque oculos violentiùs Argi
Suſcitat, armatis quando concurritur aſtris,
Et miſeros patitur manes obſcurus Apollo;
Bigáque Theſſalicis vexata laboribus errat.
Sæpe adeò diras facies, & bella cruentæ
Noctis, & ingentes terris expavimus umbras.
Ver pulchrum eſt, totóque micat formoſiùs anno.
Sed cùm præteriit labens, & ſtella canina
Ringitur, ac calidis urit latratibus auras:
Veris honor creſcit, majoráque vota meretur.
Tillivs ut ſemper magnus, ſic maximus abſens,
Iudiciis etiam cenſeri debet iniquis.
Magnificam invidiam vivus toleravit, ab hoſte
Mortuus expreſſit laudem: liventia corda
Contudit, invitiſque oculis ingeſſit amorem.
Namque ubi cœperunt tali Duce caſtra carere;
Tunc ſua nimirum juſtâ diſcrimina lance
Librârunt, ingens & totum pondus in una
Tillivs unus erat: jámque exoriente tumultu
Iam tardante morâ, mæſtiſque eventibus ægro
Milite, & interea claro ſucceſſibus hoſte,
Torpuit attonitus poſitis Exercitus armis.
Vnica vox reſonat: Tilly! fortiſſime Tilly!
Sic nos deſerimur? nec jam te abſente valemus
Stringere, quæ quondam robuſtis arma lacertis?
Sunt tamen hæc eadem, ſumus &, niſi fallor, iidem:
Dux tamen haud idem eſt. quo decedente, relictis
Peſſima ſucceſſit miſerandæ teſſera Sortis.
Ergo tuum vulnus nos detruncavit, & omnes
Proſtravit caſus tuus, afflixítque ruina.
Tu noſter numerus, paucis bellantibus olim,
Millia ſolus eras, & plus quàm millia centum.
Vt ſi qui æquoream cupiant torquere carinam, Declaratur exemplo Navarchi.
(Ceu facilè) & remis alios damnare movendis.

Obti-

Digitized by Google

Obtinet imperium navale peritior unus
A puero tentare vadum, fluctúsque minaces
Scindere. quanquam illo puppim clavúmque regente
Cetera turba ſilet, nec tanti Præſidis artem
Æſtimat. in terra Triton & Nereus undas
Commovet. accurrunt montes, Aquilóque remugit.
Et ſuſtollit arenam, æſtúmque accendit in imo.
Excutitur pronus vento ſtridente Magiſter:
(Id caſu.) ergo ingens clamor, fremitúsque dolore
Miſtus in attonitis, & jam pallentibus errat,
Exercétque metus miſeros, faſtúmque flagellat
Præteritum: ad remos, & transtra immanibus omnes
Sudant verberibus: ſubit hic, ſubit ille: laborant
Necquicquam. abripitur navis compage ſoluta,
(Et poſſet tamen arte regi) geminíque Lacones
Fruſtra clamantur. ſed deſperantibus æſtus
Subvenit Oceani fortunáque proſpera: magno
Nam fluctu ad littus ſimul ejiciuntur. id unum
Præſtitit incolumes. at non jam viliùs æquo
Navarchum pendunt, ſed adorant Numinis inſtar
Cærulei, geminóque Deum præ Caſtore laudant.
Tu, neque diffiteor TILLY, *tu turbine in iſto*
Bellorum, quæ ſanguineas trusère procellas,
Noſter eras Tiphys, noſter Palinurus in undis.
Iam verò clavum quis, te moriente, relictum
Attrectare auſus? potuitque evincere fluctus,
Quos deſpumavit mare Balthicum, & incola vaſti
Gurgitis evolvit grandi Balæna natatu?
Quæ tot jam fontes, & ſtagna, & flumina ſorbens
Siccavit: (quid enim parvus Lycus?) iſta tremendis
Matribus & natis, vixdum ſatur æquore Rheni,
Danubio, Germane, tuo Tyberíque minatur:
Suecus & Tillius am bo Tiro- *Pando aliquid, plauſúmque peto. Guſtavus, & ipſe*
TILLIUS, *ex noſtro didicerunt bella theatro.*

Nempe

Nempe utrumque Ducem docui, tentare triumphos,
Et clangore frui. Luſtris antiquior octo
TILLIUS ordiri quando ſua prælia cœpit:
Vah! Guſtavus adhuc nondum: & ſi natus, in alga
Reptabat; tam parvus adhuc: fortaſſe natando
(Si multum) poterat piſces æquare minores.
Pòſt tamen accepi docilem ſatis. atque pharetrâ
Inſtructum in terra, quà ſum mihi ſæpe rebellis.
Quà verò pacata pio ſub Numine dego,
Ardua Tilliaca ſpectavi exorſa palaſtra.
Huic belli præcepta dedit Mauritius, illi
Magnus Alexander Princeps Farneſius: ambo
Heroës. hic adhuc Iuvenis traducere primum
Cœpit equum, non eſt minimus exorſus ab armis.
Ille etiam à nitro, primóque à pulvere miles
Promovit per facta gradum: quot paſſibus ivit,
Tot meruit titulos; & quæ veſtigia bellis
Signavit, virtutis erant. Recto ordine crudis
Clarus ab auſpiciis, tandem luctatus ad haſtam
Suſtulit ingenuas vires, & nomina juſſus
Cum Duce mutavit. Guſtavus furta, dolóſque
Maluit, & miras bellorum noſcere fraudes,
Quàm vero Mars eſſe ſago. Scit callidus artes,
Exercétque ſimul Batavas: remoratur, & inſtat,
Et premit, & cedit, rurſúmque abeuntibus aſtum
Intorquet, falsósque metus. Si inſtruxeris agmen
In campo, fugiet: ſi fugeris, ipſe ſequetur,
Utetúrque fugâ. Gaudet mendacia vulgo
Spargere, & imbellem portentis tundere plebem,
Ceu major, meliórque foret: ceu maxima ſecum
Agmina ductaret, bellatricésque catervas.
Cùm tamen excuſſus, lixas plerumque caducos,
Invalidúmque trahat numerum, facilémque fugari.
Exploratores ſpeculis hoſtilibus aptos

nes in Belgio: & Tillius quidem iam ante 55. annos.

X Imma-

Immani pretio ſolers emit, & quaſi totum
Nervum his impendit. Quòd ſi lucretur & hoſtem
Pollicitis, vanóque linat ſpecioſiùs oſtro;
Tunc audax, tunc fortis erit, tunc magna ſecabit
Flumina, & Æolios ſpirabit turgidus utres.
Non facilè armatam validámque obſederit urbem,
Conſtanti virtute potens timet ille feroces:
In timidos ferus eſt, & inertes fortiùs urget.
Si tamen expugnet fortunâ adiutus & aſtu,
Vel miſſa clavi portas patefecerit ultrò
Territus, ac ſola contentus pace ſenator:
Mutabit Suecus vultum, clementior aurum
Exiget, & finget caſuris parcere tectis.
Quos ſibi ſubjecit vel vi, vel amore, metúque,
Principio facili, nec ſtricto jure gubernat,
Iuſtitiæ rectique tenax, moderamine viſus
Prudenti removere malum, legúmque vigorem
Propoſitis nutrire bonis; nec velle, tyranni
More, flagellatos in vincula mittere cives.
Sed ſimulat. Sic emulget; laudatur, & odit;
Laudat & excruciat damnis, fraus tecta ſub iſtis
Mæandris latet, ac truculenti larva furoris.
Eſto, hilari vultu meditetur mitia verba,
Nec violet fœdus; dum ſuadent commoda pacis;
Hannibal ingenio fallax indulget, amátque
Texere fucatam telam. Nam ſi omnia victor
Sterneret: & ſemper captas ſæviret in urbes:
Quis timidus civis talis ſe dederet hoſti?
Quis molliret iter? venienti pabula gratis
Offerret, patriósque lares? tormenta paventes
Et pretium veniæ nullum, niſi morte luendum,
Quâ ſaltem poſſint furiâ obluctentur, & iras
Exacuant, & tela, & ſaxa; priusquam occumbant.
Spes adeò vitæ ſimulanti plurima plures

Sub-

Subijciet, matura ſatis ſuccedet, & atrox
Sævities, quando crabrones moverit ardor,
Aut animi ſtimulus cerebrum percuſſerit æſtro.
Tunc ſpumis & bile fluens, promiſſa priora
Deſtruet, ac vero penſabit gaudia luctu.
Templa ruent, pretióque ſuo ſpoliabitur ara.
Flagrabunt urbes, deformatique penates
Ædibus è laceris fugient, & in antra ferarum
Abdentur: ſic ergo ſolet bellare Suecus.
Sed celer eſt, ac quod ponendum in laude, triumphis
Vtitur, & nunquam ſolo contentus honore:
Promovet id, quod habet: quod non habet, arte modisque
Omnibus attentat, cauſſásque exquirit, & urget
Cœpta, voluptatem docilis poſtponere lucro.
Tillius & melior factis, & major ab annis,
Dignior & titulis. & longo doctior uſu,
Longè alius: niſi quòd laudes vel in hoſte canendas
Ipſe quoque emeritus, belli poſſederit artem.
Sed ſine virtutes vitijs, ſine crimine famam.
Magnanimus, prudens etiam, cautúsque: fidelis,
Et fortis: celer & ſolers: aſperrimus hoſti,
Et clemens victo: metuendis inclytus armis.
Vtilis & paci: felix, & caſtus, & acer,
Et pius: omne decus pectus confluxit in unum:
Conjunctas numerat dotes, quas ſparſio multis
Dividit: ille auſus juſto concurrere bello,
Eminuit: cæcas idem latebráſque dolóſque
Hoſtiles facilè effodit, nullique viciſſim
Arguto patuit. Vim tempeſtate frementè
Sedavit: vel cùm ſecreto gliſceret igne
Civilis rabies, prævertit tempore flammam.
Quàm fuerit felix, potuit mihi dicere Praga:
Quàm fortis, Wimpfena docet. Quàm nobilis ultor,
Cimber, & Odryſia calua teſtantur, & orbis

Ingenium profectus. que bellicus M. Tillii.

Iudicat, & ſignis cæleſtibus annuit Æther.
Huius conſilium ſi prævaluiſſet in aulis,
Iam non Germanas temerâſſet Suecia terras.
Ah! fruſtra gemimus: fruſtra tranſacta revolvo:
Sum tamen his aſſueta malis. quaſi Belgica poſſint
Abſcondi. Thalamo Mavortis nupta cruenti,
Iam ſexaginta donavi ſtragibus annos
(Audijt, & capulo firmat connubia tacto)
Semper in hoc circo, populique immitis arena
Cernere cognato perfuſa cadavera tabo
Cogimur invita: magna inter funera, TILLY
Tu quoque MAGNE jaces: ſed non & fama jacebit.
(Dixit, & ad ſacram contorſit lumina tumbam)

M. Tillius Gallobelga. Vehementer gaviſus eſt Alphonſus, Belgium officio ſuo non defuiſſe; ut quam Diuam maximè decuerit TILLIO honorem habere, & magno funeri ſacrum nomen addere. In hujus enim, aiebat, tellurem ille natus cecidit: hæc cadentem ſuſtulit, aluitque, & parvo militare nutrimentum, amorémque belli ingeſſit. Tillius Gallobelga invidiam terris aliis excitavit, cuilibet ambitioſè cupienti, tanto militi ac Duci corpus atque domicilium præparâſſe. Sed enim BRABANTIA GALLICA meruit antecellere ceteras provincias: quippe hoc partu donata, reliquarum gentium terrarúmque bellicoſam ſobolem, ſecura contemplatur & ridet. Origo illi à Gente TSERCLASIA TILLIA, illuſtri & annoſiſſima, iamque Rom. Imperij finibus per affinitates ac ſucceſſiones inſerta familia. Hanc Eburones civitásque Leodienſis jam olim nobiliſſimis

Eius origo

Inſignia gentilitia.

liſſimis accenſuerunt virtute, belliſque florentem; à GEDEONE TSERCLAES EQVITE, DOMINO IN OSTFEL, BEHVN, & MARIENHOVEN propagatam. Qui quidem AnnoChriſti milleſimo ſexageſimo quarto inclytum factis nomen habuit, deditque nobiliſſimæ proſapiæ: non quòd eam ipſe condiderit primus, quippe longè in antiquiora primordia reſolvendam, ſed certioris famæ celebritate poſteris venerabilem fecerit. Gentilitia Tserclaſianæ familiæ Inſignia à Ducibus Brabantiæ, Regibus Bohemiæ, Imperatoribus Africæ originem ſuam traxiſſe, non deſunt qui judicent. E campo rubro emergit Leo ſurrectus, albi coloris, coronâ, cauda ſtellante, exertâ linguâ ſpectabilis. Scutum tegit galea, & galeam candens Aquila alis vibrantibus complectitur, medio corpore coronata: aſtantibus hinc inde duobus labaris, altero arma gentilitia, altero caput Turcicum præferente. Præſagium ſpiraverunt jam à centum annis hæc inſignia; his radiatos aliquando TILLIOS Aquilam Leonémque inuictis armis protecturos eſſe. Certè cùm TILLIOS hoc ævo audimus nominari, ipſo uſu famáque ſollicitante memoriam, ſtatim vel milites vel Duces cogitamus. MAGNVS TILLIVS Genitore MARTINO ſatus Equite, qui obijt anno reparatæ ſalutis milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſeptimo. Fuit autem unus tantùm frater IACOBI nomine: ex quo progenitos nepotes numeravit duos IOANNEM & WERNERVM

Genitor eiusdémque frater.

M Tillii Illuſtriſsimus Nepos Wernerus de Tilly.

Ambo bellatores, ſingulari virtute noſtri æui bella ſuſtinuerunt: & Illuſtriſſimus Wernerus S.R.I. Comes de Tilly & Braittenegg, Baro de Marbais, Dominus in Balaſt, Montigni, Weiſſenberg, Tillysburg, Stain, Dominus in Freiſtatt, Hollenſtain, Hochenfels & Helffenberg S. C. M. & Sereniſſimi Elect. Bavari Camerarius, Conſiliarius bellicus legionis peditum, & Vrbis Ingolſtadianæ præfectus etiamnum ſuſtinet. Is ipſe, cui legionem equeſtrem ducenti: invectóque acerrimè in hoſtem, ad Statloniam memorabilis gloria adverſum vulnus donavit. Ceterùm plurima, natura ſincerior benignáque fortuna, in iſtum Ducem virtutis atque felicitatis ornamenta congeſſit: quæ neque iam fas neque tempus eſt, diſertiùs explicare. Non latent. Et comitas, prudentia, induſtria, fortitudo naturâ ducente, ex arcano erumpunt, manántque diffuſiùs in claritudinem. Illud tantùm commemorabo, quo omnes olim Muſas devinxit, capaciſſimum magnarum artium ingenium; atque ita litteratura cùm politiore pacis, tum ſeveriore excultum ſcientia belli; ut quid in ipſo priùs, militaris diſciplinæ notitiam & ad inventa ſingularia pronam, an pulcherrimarum rerum, quas aſſiduâ lectione conquiſivit mentique impreſſit, apparatum mireris, planè neſcias. Accedit ſuavitas incredibilis,

lis morum, ſolérſque facundia, quæ honorem naturæ cumulatiùs exaugent. Symphorianus hîc commodè interfatus; novi & iſtum, inquit: expeditionum & laborum M. PATRVI continuus comes, ſpecimen ſæpe ſæpius dedit ſe TILLIVM eſſe.

Sed amabo vos, ut quid IOANNEM de TILLY, ſemper MAGNUM TILLIUM nominatis? equidem à vobis hoc didici, cùm crebriùs illam vocem uſurparetis: tantulo epitheto putatis Herois encomium abſolvi? aliàs hunc titulum ipſius imagines præferunt. Ioannes de Tilly quare magnus Tillius vocetur.

Ioannes Tserclaes S. R. I. Comes de Tilly, Baro de Marbais & Braittenegg &c. tam Cæſareus, quàm Ligæ Catholicæ contra Imperij perduelles Locum-tenens Generalis, Heros invictiſsimus.

EGo Symphoriano: arbitrare tu, omnes titulos eâ ratione exprimi? compendium nobis dixiſti. Nos MAGNI nomine uſi, brevius quidem nihil, nihil etiam prolixius dicere potuimus, & velut quidam nuce totam Iliadem, ſic voce hac Tilliadem clauſimus. Iactat Macedonia MAGNOS Alexandros, Epirus Caſtriotos, Italia Pompeios, Carolos Gallia, Conſalvos Alphonſóſque Hiſpania. Habeat & Braban-

bantia Belgiúmque MAGNVM ſuum IOANNEM de TILLY: qui magnus bello, pace, virtute, conſilijs, factis, periculis, victorijs, utique hoc nomen implevit. Evertit, mihi crede, Heros iſte omnia præcepta Rhetorum; quæ laudaturos docent, à familia ordiri. Hanc M. TILLIVS inter laudes non reputat. Belga nominari vult, non Belga laudari. Quòd enim Belga ſit, ipſe non fecit; quòd talis Belga ſit, geſtarum rerum famâ conſecutus eſt. Itaque nec proavorum indiget fumoſis imaginibus ceríſque, vel ſtatuis adoratâ rubigine horrentibus. Potuit genus nobiliſſimum, ſi non inveniſſet, inchoare. Et ſic quidem Illuſtriſſimo fulgore conſperſit. An non audienti IOANNIS TILLY nomen, occurrat ſtatim, debere illam ſtirpem longè pulcherrimam eſſe, ex qua tanti miraculi ramus pullulavit? verùm ille ad ſtirpem animos non vult converti; præſentiùs oculos ſplendor dignitáſque gloriæ ferit, quàm ut ad veterum tabulas, inque majorum veſtigia revolvi debeamus. Præterea oratoribus mos eſt, ut nonnunquam officioſas affricent laudes: hîc ne veras quidem abſolvere poſſumus. Quocirca ita, Symphoriane, cogitare debes, TILLIO MAGNI nomen inditum, non ingenij, ſed neceſſitatis inventum eſſe. Alioqui aggredere tu ipſe opus immenſi laboris; & ſi piaculum putas, aliquid omittere, voca TILLIUM PRAGENSEM, voca HALBERSTADIANVM, voca TVRLACIVM, voca denique Cimbricum; & ne vaſti

M. Tillio varia ex virtute & honore nomina dari poſſunt

nomi-

nominis deſit pompa, voca ALEMANNICVM & PARTHENOPOLITANVM. Omnia hæc nomina meretur, qui nominum horum vel hoſtes, vel hoſtium horum nomina delevit: quaſi verò novum & inſolens ſit, à victis hoſtibus cognominari. Druſus à debellata Germania Germanicus, Scipio ab Africa Africanus, alij ab alijs victorijs nomen immortale ſunt indepti. Si M. TILLIVS Pragam ſubjecit, ſi Halberſtadium vicit, ſi Turlacium domuit, ſi Cimbrum proſtravit, ſi Parthenopolim expugnavit: quis ſuccenſeat oratori, multitudinem horum titulorum, in exaggeratæ dignitatis pondus fámámque convolventi? Marcellus populi Romani Gladius dictus eſt: M. TILLIJ GLADIVS toto Marcello nobilior fuit. Lucius Caſſius, ſcopulus Reorum: in M. TILLIUM omnes perduellium hæreſes impactæ, flatum amiſerunt. Otho IV. mundi miraculum: bellorum certè M. TILLIVS. Edmundus, ferreum latus. Quid dicam de M. TILLIO? ferreus, me hercule, pes Romani Imperij fuit. Quod ut omnia, ſicut ferrum conteret, atteſtantibus Oraculis Sacris: ita, quæ hucusque obſtare viſa ſunt, Tilliano pede fortiter proculcavit & contrivit.

Belgium militiæ animoſa mater.

ALPHONSVS, ut memoras, ait: Belgium nihil vile profert, conſanguinea Bellonæ Dea fœcundo utero Heroas parit: quanquam fortiorem TILLIO ne ipsa quidem ſe genuiſſe novit. Priùs quàm Gallias & Hungariam tentaret, patriæ ſubvenit, HERMANNI à

Prima bella atque auſpicia Ducum, quæ ſecutus eſt M. Tillius.

Lynden Baroni de Reykem auſpicia ſecutus : cuius virtute dexteróque Marte ita imbuit ingenium, ut non dedignaretur illa rudimenta agnoſcere, atque apud amicos profectûs tunc ſui commoda recenſere. Bello, quo Gebhardus Trucſeſſius Archiepiſcopatu Colonienſi ob mutationem Religionis expulſus eſt, interfuit, primario legionis ſigno ornatus; & jam tum Bojariæ ſua obſequia præſtruxit, Erneſto Septemviro militarem operam navans. Poſtea ſpontaneus miles, Alexandri Farneſij Parmæ & Placentiæ Ducis caſtra ſecutus, Antuerpienſi obſidione inclaruit: quæ tunc celeberrima, maximéque difficilis toti Belgio, ingentem exſpectationem fecerat. Certatum acerrimis prœlijs, & excurſionibus infeſtis. Ipſis elementis barbarùm ſævientibus, vis illata, fatigavit humanum ingenium; frenatiſque tandem per inſanas ſubſtructiones moléſque turritas via patefacta, memorabile belli ſpecimen poſteritati commendavit.

Interea Belgium, dum loquebatur Alphonſus, multa conſilia Alemanniæ communicare viſa eſt; nutus, geſtus, oculi, ſæpe ipſum ſilentium, aliquid grande ſpirabant. Ex eventu patuit, Alemanniam quæſitam fuiſſe de pluribus rebus geſtis M. Tillii, quas Belgium ignoravit. Commodùm itaque tres armati ſtaturæ maximæ viri exibant: primus Macedonicam ſariſſam, alter ſtrictum gladium, tertius ingentis clypei molimen, & ipſe ſquameus, geſtavit. Singuli

Chorus.

Leonis

Leonis exuvijs, unguibus ante pectus colligatis, vice paludamenti, inſignes. Secundus cudone caput defenſus, cetera ferreus. Sulci frontis rudes & inamœni, præſertim in primo. Sic gradiebantur horrido adhuc atrocique ſilentio, vel dolorem vel iram profeſſi, magis tamen dolorem; tumbámque vergentibus in imum gladijs, & inclinata caſſide proni ſalutârunt. Hos Alemannia conſpicata, & in Næniam triſte murmur diverberantes, non humiliter rogavit, quæ Belgio explicari voluit. Chorus ita inceperat.



CHORUS III.

ALEMANNIA.

Nihil in mundo durat, & omnia
Fragili titubant ſubnixa pede.
Patitur miſeras natura vices :
Et in alternas trahitur mortes
Vita renaſcens.
Leviora volant, graviora cadunt,
Omnia pereunt, nihil eſt ſtabile.
Et quod miſerum eſt, ſæpe celeriùs
Majora ruunt, tumulúſque brevis
Bella coërcet.
Fortior aliquis fuerit TILLIO *?*
Dignior ullus vivere TILLIO *?*
Cecidit, cecidit TILLIVS *ingens.*
Alemanna Parens, lacrimoſa Parens
Funus adorat.

M. Tillius qualis ante pugnam.

ALEM. *Effare, quis, quantúſque, vel qualis fuit ?*
Primò ante bellum.
CHOR : *Getulæ qualis bellua Rex Leo,*
Quando otiatur, torvus & adſpicit,
Immanis, in ſuo cubili
Subſidet, & meditatur arma,
Optátque bellum : iámque adeò ſuas
Reſervat iras, vimque recolligit
Venæ flagrantis, & futuro
Exacuit grave robur hoſti.
Nondum eſt in armis, nondum agitat jubas;
Caudáque terram verberat, aut micat :
Sed ore pando rugit altum :

In-

Inque globos ſalit, & iocando
Vngues minaces temperat arduus.
Colludе Sodes. I. Naſamon manu
Mulce ſuperbum vellus auro:
Tange jubas: at enim feroci
Inſurget ille & proteret impetu
Venabulorum obſtantia robora.
Expergeſecit iram, & agros
Gaudet ovans iterum cruento
Implere tabo.
Talis erat.
ALEM. *Cùm ſigna bellorum dedit: campo data*
Hoſtiſne timuit ſigna?
CHO. *Vt ſi Gradivus ferratam torſerit haſtam*
Implêritque nemus:
Dat ſonitum tellus, & magnis fluctibus aër
Exundans quatitur.
Subſidunt ſilva & ſtrident, plorántq; coloni
Arboream ſtragem.
Ingeminant ſummi montes vallèſque fragorem,
Oſſáque cum Pindo
Mugit: & ut talem iaculetur rariùs haſtam,
Pánque Paléſque rogant.
ALEM. *Si riguit agmen hoſtis, & denſum ſtetit,*
Tantóne potuit impetu perrumpere?
CHO. *Qualiter brumâ temulentus Iſter,*
Montium poſtquam bibit explicato
Alueo lapſus, niviúmque turmas:
Et putris tandem ſatur eſt pruina.
Turgidus vadit petulante fluctu,
Et ſuper ripas, ſuper arva & urbes
Stagnat: inde ingens ruit, & ruendo
Creſcit, erectos ſuperátque pontes:
Vel cohærentes lacerat. quid ille

Quale ſignum pugnandi dederit.

Quali impetu pugnaverit.

Digitized by Google

Curat has nugas puerulis artus,
Peſſulum, aut poſtes, obicéſque (ſilua
Integræ truncos) rapit ille curſu,
Quidquid occurrit, trabibúſque fractis
Nereum pulſat ſpoliiſque Thetyn
Donat, & natas fluvijs Sorores.
Sic enim, ſic ad mare tendit Iſter,
Et Patris fratrúmque animoſus intrat
Vitrea tecta.
Talis erat.

Qua conſtantia.

ALEM. Nullíne fugiens tergus hoſti præbuit?
CHO Qualis in ponto ſcopulus Malea
Audet armatas Iovis igne nubes
Spernere, & ſpumas maris æſtuoſi.
Si tonat, ferróque pluit caduco;
Perſtat immotum caput inter aſtra,
Nec timet fulmen, rapidóſque nimbos.
Si tument undæ domitore mota:
Frangit illiſa rabiem procellæ, &
Cedere neſcit.
Talis erat.

Qua celeritate.

ALEM. Celer íne curſu potuit hoſtes aſſequi?
CHO. Vt fulminis ala
Per nubila fertur:
Vt Parthica canna
Poſt terga relicta:
Vt funda per auras
Balearis ahenum
Et marmora torquet.
Talis erat.

Qua fortitudine ac robore.

ALEM. Numeroſa quid ſi dente Dircæo ſata
Acies levárit capita, nolens cedere?
Non timuit iras & furorem militum?
CHO. Qualiter Aquilo Sarmata tubicen

Implens

Digitized by Google

Implens aëre gelido buccas,
Equidem ſemper fera bella movet
Orithya ſcit eſſe potentem)
Ille nivoſi montis decutit
Calua cacumina, nemorúmque moras,
Dryadum pulchros ſternit amores.
Sed ſi in patuli vacuique ruat
Æquora campi : perit ille furor,
Et tuba clangit breviore ſono.
Quia non adſunt, quos petat hoſtes.
At ſi denſis Platanus brachijs
Albáque populus, altáque fraxinus,
Et Chaoniam bellica roboret
Dodona manum; juxtáque freta
Multis navibus onerata fluant;
Campum habet *Aquilo: tunc valide incubat*
Viribus aëris, atque ſonoro
Flamine turbo belliger intonat.
Clamant flumina, nubila, nemora,
Mersáſque rates verſáſque domos
Miſero gemitu queruli plorant
Mercatores, nautæ, Agricolæ.
Talis erat.
ALEM. Pugnâ peractâ, qualis in pacem fuit?
CHOR. Qualis Marmaricus Leo
Heros à proavis ſuis,
Et multis ſpolijs tumens:
Sed jam luxurie ſatur,
Ac tot mortibus ebrius,
Dentes laſſus, & impigros
Annos plurimus, in ſpecu
Conſumit reliquos dies:
Hic grandes oculos rotat

M. Tillius qualiter poſt pugnam ſe geſſerit.

Digitized by Google

In ſeſe, & fruitur ſuo
Ævo: iam catuli vicem
Feſſi patris eunt, & in
Sparſas ſe penetrans caſas,
Maurorúmque mapalia.
Sic gaudent fieri viri.
Rex verò ſenior domi,
Exſpectans genitos, jacet.
Sed quamvis jaceat; tamen
Terrori ac reverentiæ eſt.
Viſu hic exanimet viros:
Ne dum, ſi nitida face,
Aut ferri rigido gelu
Commotus, ſenij pigrum
Pondus projiciat, levi
Diffuſus Zephyro jubas:
Vnguéſque horridus aſperos
Caſus M. Tillii. *Formidabile rugiat.*
Talis eras.
ALEM. Ah! cecidit idem: qualis hic caſus fuit?
CHO. Qualis in ſilva bene celſa quercus,
Cujus ætatem memorare Faunis
Vnicis notum eſt, nimis gravata
Molibus belli, exuviáſque ramis
Pendulas geſtans ſatis obſoletis
Hanc colunt omnes Dryades, diéque
Cingit æſtivo chorus orgiorum.
Creditur Numen: nec in ejus umbra
Audeat vanum latitare vulgus.
Solvitur tandem laqueata radix,
Et ſacrum terra propiùs remittit
Pondus, inclinátque caput ſuperbum.
Eſto, jam nullam, velut antè, denſo
Frondium amplexu locuplet et umbram;

Nec

Digitized by Google

Nec ſolum lapſis folijs coronet.
Ipſe, qui truncus jacet, eſt honori.
Et ſuam famam moriens meretur,
Tale poſt fatum ſenio ſolata
Nobilis arbor.
Haud aliter.
ALEM. Vbi bellicoſam efflavit animam TILLIVS, M. Tillius poſt mortem qualis.
Magis timori, vel magis amori fuit?
CHO. Sicut Leonem, quando in antro Caſpio
Porrexit haſta, digna bibere ſanguinem
Regalis ira, quâ tumebat bellua,
Garamante Patre (& hic ab antiquiſſima
Si fors Leonis venerit proſapia)
Satum: illum adhuc calente vivum Spiritu
Nemo auſus eſt adire, nemo tangere,
Frontémque latam, oculóſque torvo ſidere
Effulgurantes, oſſeámque dentium
Concutere ſepem: nemo barbam vellere.
Occubuit. ergo iam licet: concurritur.
Numidæque, Getulique, & omnis Africa
Eſt curioſa in innocenti funere.
Hic frontis admiratur, & trepidans manu
Oſtendit ingens ſpatium; hic aureas iubas,
Ille explicatum corpus: omnes regium
Animal coronant, & pauere geſtiunt.
TILLI! Leoni comparamus te tibi.
Enſem tuum vix vidimus, qui mortui
Lectum ſuper pependerat; iam Martio
Horrore plenos, & ſacrâ formidine,
Mulcebat oculos ille ferreus nitor.

Belgium, hoc audito Choro, non parùm ſemetipſam ſolata eſt; quòd tantam apud exteros de TIL-

M. Tillii præclara laus ab ipſa natura perorante.

lio ſuo exiſtimationem ubique florere conſpiceret. Alphonſus quoque diſertus in elogia, O Tilly! O ingens anime! dixit, in quo præclariſſimas dotes, & æternæ laudis monumenta, nobilis natura virtúſque ſignavit. Gloria major explicari non poteſt, quàm ſi dicatur, naturam de te conqueri non poſſe. Illa tamen in complorationes, & obiurgandi licentiam iure ſuo profuſa, ad ceteros mortales ſæpenumero dicit: quid hoc eſt? dedi me nobis optimam: cur in peſſimam mutavit prava cupiditas? genui ſine vitijs: & cooperti ſceleribus hinc deceditis? alimenta fortia ſuggeſſi creſcentibus membris: ut quid tam citò abrumpitur vita: inſtruxi nervos & oſſa ad prœlium; nihilominus ignavâ pace marcetis; viridi iuventâ vos indui, afflavi corpora magnis ſpiritibus, denique generoſo calore animavi præcordia, ſuffecturo in pulcherrimorum facinorum auſa; ſed fruſtrata ſum: inglorii fugiſtis è ſtatione: nulla ſpolia reportâſtis: nullum vulnus accepiſtis: nullum domuiſtis hoſtem, ne vos ipſos quidem. Quid ſimile Heroi noſtro obijciat aut exprobret natura omnium Parens? ſi dicat: tibi me cum optima dote bonisque inſignibus infudi. Reſpondebit ille: naturam, quà decuit, cumulatiùs ornavi; quà non decuit, vici. Si opponat: indolem erectam dedi, arduam, ſpirantem ſublimia, corpus habile atque idoneum maximis rebus, mentem utriusque fortunæ capacem: reddet Tillius: In annos iuveni-

veniles eductus, ſtatim arma tractavi: nunquam otiatus ſum: hoſtes plurimos cecidi; utiles triumphos inimicis abſtuli: Reipub. ſemper profui; quinquaginta quinque annos bellis impendi. Potes aliquid, ô natura, conqueri? potes accuſare? laudabis, ſcio, talia de ſe verè memorantem. Atqui nondum tibi dixiſſet, túque nondum ſcires, quas curas, quæ pericula ſolus & unicus ſuſtinuiſſet. Octo vulnera ipſi inflicta nondum vidiſſes. Symphorianus interpellans; quinque ipſe ſcio, ait; & ſi vulnus Suecicum computo, ſex: de alteris duobus nihil audivi. Imò verò ad ſeptimam cicatricem pervenit. & ſi lubet audire, inquit Alphonſus, numerabo. Octo vulneraglorioſa M. Tillii.

Bis ſiniſtro pede adverſum vulnus accepit: ſemel, quà tibia ab imo paullùm recedit, Tartarico telo trajectus eſt in Hungaria, ſub Duce Mercuriano meritus. iterum ejusdem pedis genu glande è maiori tormento emiſſa, ad Binnebergam, Danico præſidio munitum oppidum. Anno M. DC. VII. menſe Septembri ſiniſtrum brachium tria vulnera ſuſtinuit. Primum transmiſſa glande patefactum, nonnihil à cubiti iuncturis deſcendit, creditur belli Hungarici nota. Alterum ſuper humerum anteriorem; quà ferè brachium deſinit, penetrans, ſub media axilla iterum exitum invenit; ex Hungarico, an Colonienſi prœlio, reportaverit, incertum: brachium illo ictu inutile, plerumque robur amiſit, & ad ſolum habenarum regi-

men ſufficit. Tertium vibratus acinacis inflixit; qui, dum Heros irruenti militi brachium objicit, in ſcapulam incidens, eam cruentavit. Ex pugna Lipſienſi, ſextum vulnus in eadem glans equitis impulit dorſo, quà inferiores vertebræ paulatim ab imo aſcendunt; hoc enimverò acerbius magiſque periculoſum prioribus fuit. Sed & tertium in Lipſienſi prœlio, adeóque iam ſeptimum accepit, tactus alia glande, quæ ſecundùm ephippium ingreſſa, partes ſedentarias raſit. Anno M. DC. XXXI. quintodecimo Kalendas Octobres, octavo ex fatali vulnere, non tam Tillius, quàm Romanum Imperium afflictum eſt, propter ripam Lyci, non procùl à Boiariæ oppido, Rhain dicto: emiſſus enim è Suecico tormento, cui à falconibus nomen dant, plumbeus duodecim unciarum globus ſuperiori genu parti adeò fortiter incubuit, ut per obſtantia oſſa totúmque pedem ex latere penetrans, ſibi viam fecerit; donec tandem laſſatus in ocream decidit: oſſa ab ictu horrendo comminuta, quòd ſuis acuminibus ſauciæ carni inhærerent, ingentes ſecum dolores traxere: quos tamen ille abſque gemitu, & ut Magnum Tillium decebat, ſtante vultu toleravit. Symphorianus: hæc in acta referri debent; & olim, ait, poſteritas nihil cupidiùs ſpectaverit, quàm Lycum memorabilem eo caſu Ducis. Chares, qui Cyri Regis poplitem gregario vulnere perſtrinxit, ſuperbiâ inflatus, inſanijt. Si tu, O Suece, quiſquis

es

es (fortuna enim te hoc honore dignata eſt) ſceleris tui celebrem infamiam nôſſes, (& forſan nôſti) à Marte ulteriùs nihil peteres, (quanquam Mars, ſe tibi annuiſſe, negat) ut ut tamen ſit, cum glorioſo crimine morieris, qui infauſtâ felicitate uſus, pedem ferreum Imperij Romani proſtraviſti.

Alphonſus commendavit Symphorianum, ſuóque more prolapſus in veſtigia militaris gloriæ: quando, inquiebat, libido tanta eſt, hiſtorijs paſci. ede, quis tibi fortior, TILLIVS an Fabricius videtur? Tum ille: non ſuaſero, ut me in ijs provoces, quæ cum Marte faciunt: quippe ea non perfunctoriè legi: in pacem minùs ingenij curas expedivi. Et nunc quidem aio, TILLIUM fortiorem Fabricio, etiam conſtantiorem. Tametſi enim de hoc Pyrrhus dixerit, eum difficiliùs à virtute removeri, quàm ſolem à curſu: non intellexit tamen regiam virtutis viam, ſed vulgaris vitæ placidam rationem. TILLIVS Heroibus quoque invidiam movit, & inter ſummos meretur primus cenſeri. Agnovit Alphonſus, eum non abſudere, & pluribus urgere ſtatuit: Sed quis conſtantior, Maſiniſſa an TILLIVS? certè prodigioſa quadam firmitate pedis omnes antecelluiſſe fertur. Symphorianus: intelligo hercule, inquit, quid velis: num tibi tam ſincerus & albæ mentis videor, ut putes captioſis quæſtionibus me obnoxium? ſi de robore corporis loquerer; tu ad fortitudinem animi quæſtionem transferres. Hanc

Laudantur uberiùs adductis hiſtoriis atq; exemplis. I.

II.

explicanti, lacertoſam obijceres. Aio igitur, Maſiniſſam Tillio in utroque cedere. Non neſcio, Regem illum tribus integris horis immotum in eodem veſtigio conſiſtere potuiſſe: atqui Tillivs ſeptuaginta tribus annis; ut nullæ vires, minæ aut illecebræ à firmitate dimoverint. Sed ad Lycum cecidit: quid tum poſtea? ille ruinam non ſenſit; fulcro ſubtracto, nos corruimus. Alphonſus: nunc mihi demum ſanguinis noſtri, ait, vitæque & amicitiæ nexus placet; quando ipſa ſtudia non diſcrepant. Neſcieram antea Martem tuum tam eruditum eſſe. Nunc comperi, illum pugioni & libro incumbere. Ad Tillium quod attinet, verè, verè is amans patriæ fuit, tam magni vulneris ſumptu impenſus. Neque, ſi Auguſtus iam viveret, hoc encomio togatos ſolùm Se-
III. natores ornâſſet. Erat Tillivs haſta illa Romanorum, quæ ſimul atque terræ infixa fuit, diripiebantur urbes, & in ludibrium prædæ capta oppida cedebant. Iſte vix terræ illatus, naturæ debitum perſolvit: mox
IV. hoſtis audacior totam Boiariam deuaſtavit. Erat Hunniades noſter, quem tanto terrori memorant Turcis fuiſſe, ut adhuc hodie Thraciæ, Bulgariæque matres parvulis aſſuetudine plorandi faſtidium moventibus, niſi ſiſtere velint fletum, Corvinum Hunniadem minentur. Quid exiſtimas, Symphoriane? ſi repentina vox in caſtris Suecorum perſonaret: Tillivs haud

haudquaquam extinctus: TILLIVS venit: TILLIVS adeſt redivivus: quanto pavore conſternati animi in fugam, torrentis inſtar, abrepti, alteri ab alteris protruderentur? non aliter quàm Ingolſtadij factum: cùm inſolito metu impulſi, commeatu magnam partem relicto, ſolâ nocte ſecuri, profugerunt, Ah! unico amiſſo viro, fateor, incomparabili quidem, ſed qualicunque, unico tamen ſolùm amiſſo viro, univerſa caſtra noſtrorum militum, quàm citò decedentibus animis mœroréque corruptis, in formidinem fluxere? MARCVS Licinius Craſſus quærenti de caſtrorum profectione, reſpondit: vereris, credo, ne tubam audias: ſi noſter ſciſcitetur miles; quo reſponſo ſe ſolabitur? dicet ille: tubam conſuetam non audimus: Patrem noſtrum non videmus: glorioſum ſenem non ampliùs ſalutamus, qui fit? quando pugnabimus? quando vincemus? Inflantur quidem tubæ: ſonant claſſica; verùm hæc non animant. TILLIVM deſideramus: TILLIJ conſpectu exhilarati, in arma & victorias graſſari valemus. Ille noſtra tuba, nervus & triumphus eſt. V.

Hoc ergo tantùm reſponderi poteſt ſciſcitanti, quod Milo jam ſenex & inutilis, ſibi quærenti ipſi, cur taurum non portare poſſet; ſuos lacertos aſpiciens, atque illacrimans, reſpondit: AT HI QVIDEM MORTVI SVNT. Mortui ſunt lacerti veſtri, ô milites: ſubſederunt pedes: contabuit corpus: vigor VI.

gor abſumptus. TILLIVS mortalium caſtris exceſſit. Deſinite mirari defectas vires: cauſſam tumulus tegit, manibus mortuis nemo pugnat. Duce TILLIO defuncto, tam citò non vincetis. Sed confidite: fortaſſe ipſius manes bellicoſi in pectore principum veſtrorum ſedent, excitaturi milites ad bella, vimque & robur afflantes. Dicentem hæc Alphonſum monui, ut ad tumbam oculos converteret: ibi Mars novis funeribus atque manibus videbatur excruciari, qui utcunque priùs luctu defatigatum ſe ſaturaverat. Subitò turbatam aciem excuſſit oculis: recrudvit dolor, & ululatu inter non intellecta verba ſt[illegible] dente, pulſavit os hians, & ridens, mœſtus & [illegible] Sæpe aliquid quaſi exprobraturus, iterum c[illegible] ſæpe ad tumbam converſus, averſú[illegible] deorſúmque oculos torſit. Opinaba[illegible] ut inceperant, intra doloris ſilenti[illegible] ille altiſſima voce intonuit.

Expoſtulat Mars co[illegible]

ſe quidem præfecerit belli[illegible] ximè viros bellicis munerib[illegible] los vel paucos dederit, [illegible] quos omnes affirmat, [illegible] lem habuiſſe. Lyc[illegible] accepit, in[illegible]

SEd jam tu (nequ[illegible] Iupiter O! me[illegible]

Clangentêſque tubas, mortêſque & bella dediſti,
Dixerit: I. Mavors, noſtriſque favoribus uſus
Armorum tibi iura tene. regat ille diſertum
Florentêmque Chorum, Muſis addictus & hortis:
Ille refrenet aquas: hic gymnada Caſtoris intret:
Alter agat cervos; pacem ſibi vendicet alter.
Tu Mars bella rege, & fatis adverte ſecundis
Implacidos vultus; ut caſus ferre ſiniſtros
Aſſueſcant homines; & ne corruptior Orbis
Per Cyprios aſtus, Thyrſôque ſubactus in umbram
Diffluat; atque adeò ſegni formidine marcens
Totus molleſcat paulatim, ut fœmina, Mundus.
Nec diffide: viros dabimus tibi, ſemideóſque,
Heroáſque, Ducéſque ex ſanguine Semideorum.
Dixit, & ad ſacram contorſit lumina tumbam.
Non nego; promiſſos in noſtris vidimus armis Maximi Duces plerumque tumultuario funere elati. Comes Serin' Tampier. Buequoius
Stare aliqu ſed quàm paucos, quàm tempore nullo:
Quàm iterum revocati ad ſidera, & unde
Venerun ſtatim, plerumque cruentis
Exagit fortunæ & iniqua ferentes
Præm , memori vix funere noti.
Non que enim faſtis aſſuevimus iſtis,
Otia ue dies comburere nugis.
Ver moro, dixiſti aliquando: quid agrè
An iſque tua diſpendia ſortis? Acies admic.
C Cadmi: vel ab uno dentis adunci
n denſus miles naſcatur in herba
ibi, virides in corpore ſulci
que erectas ſeges ingerit haſtas.
placuere mihi, mox ſæva colonum
; Dyrcæáque meſſis in arma
r, ſtrages ſine falce fit, & ſe
um eſt, metit: occiduntur ariſtæ

Armiſona, funéſque crepant: pérque horrida fratres
Vulnera Cadmai, te fors ridente duellum,
Exſpirant: ita nos, ita nos armamur in arma
Sic ſumus inſtructi: (viſúsque hic pluribus ipſum
Contempſiſſe Iovem) talis me exercitus ambit,
Milites ex quercu nati. *Poſt iterum dicis, quid Cadmi jugera curas*
Seminibus funeſta ſuis? cunabula quercus
Militia generoſa dabit: trudetur ab orno
Bellatrix ſoboles, ut ſint durata labore
Corpora, nec vultus retrahant aut ſolis ab æſtu,
Aut hyemis glacie: pueros invenéſque frementes
Non cum vagitu tenero Lucina levabit;
Sed Dodona potens ex noſtro munere, rupto
Fagus hians utero, ſciſſoque ex cortice natos
Effundet, mox arma manu, mox cornua criſta
Quærentes; totisque palàm reſonabit in agris
Grande puerperium ſilvarum, atque horridus infans.
Et vix audebunt venti nemus hoc afflare.
Tunc tibi delectus moveat faſtidia forſan.
Vah! mihi quæ delectus adhuc faſtidia movit.
Iſte modus generandi acies quot, quæſo, per annos
Duravit? tribus exactis ſine pignoris uſu,
Cœperunt paſſim tota ſterileſcere ſilua.
Atque hæc damna quidem, te concedente, vel ipſi
Debuimus penſare, patris cùm nomina ſumpſi,
Et mea progenies aſpexit Romulus auras.
Romani Duces conſules. *Tunc plures mea bella duces coluere, ſegéſque*
Amplior enata eſt, validisque inſtructior armis.
Scipiadæ, Pyrrhi, Serranus, Galba, Camillus,
Mutius, Æmilius, Cocles, gens Claudia, Brutus,
Marcellique truces, formidandique Metelli,
Fabricij, Curij, Fabiique, & Horatius unus
Ac triplex, Deciique patres, tua numina, Roma.
Quin & ſexus iners aliàs, ac mollior annis

Cœpit Amazonijs Latium defendere peltis.
Vlta pudicitiam pectus Lucretia caſto
Sanguine conſperſit moriens ; meliórque Sabinis
Clelia, per medium Tyberim captiva natavit.
Verùm etiam ſenſim (quid enim non ſegnior ætas
Imminuit?) ſacer ex oculis euanuit ardor,
Spiritus ille ferox bellorum, & noſtra voluptas.
Cæſar erat. Pompeius erat, non ſprevero: novi,
Novi illos : utriusque mihi bene cognita laus eſt.
Et virtus, vitiúmque ſimul, maculatáque tabo
Ambitio, & mediam tumulans Pharſalia Romam.
Adfueram ſtragi, licèt invitúsque, volénsque
Sanguineum prohibere nefas. Sed Roma ſub haſta
Tunc ſtetit, & totum venalis facta per orbem,
Cui Domino pareret, erat. Quæ monſtra ſecuta
Cæſaris Auguſti manes? fœdiſſima rerum
Luxuries ſcelerum cumùlo perfuderat urnas,
Et ſiccum cinerem infecit truculenta libido.
Nerva potens, melior Traianus: at omnibus iſtis
Fortior incubuit mihi Conſtantinus, eburno
Vt ſolio dignus, ſic longè dignior aſtris.
E ducibus tamen egregijs, quos ſæcula nobis
Oſtendere, novum, quotus eſt, qui oſtendere vulnus
Audeat, atque emptas magno jactare triumphos
Me coram! facile eſt, ſi Mars non audiat, enſem &
Tela coruſcare, & ſpumantem ducere rictum
In proprias laudes; ceu mille cadavera flatu
Vno diffláſſet. Facile eſt, hoc dicere, Vici.
Sed pugnáſſe, pedem nunquam vertiſſe, decorum eſt,
Hoc decet ætherios animos. Beliſarius audax,
Immodicus ſceptri Stilico regalis, uterque
Fœdàrunt vitijs palmas, trabeásque cruore
Innocuo: Marij ſicâ Syllaque parati,

Romani Duces poſt Cæſarem Auguſtum Nerva Traianus Conſtantinus.

Beliſarius Stilico.

Oppreſſa morbis venas incidere Romæ,
Et magnum Patriæ jugulum. (facundia Marti,
Vnde hæc, & ſapiens magnis de rebus acumen ?

Duces Chriſtiani Bragadinus, Venerius Ioannes Auſtriacus Columna Tampier

Quin potiùs laudem Bragadinum, & Echinadas inter
Venerium Venetum ? maris, undarúmque potentem
Auſtriacum Quinti ? quóque eſt innixa Columna
In bellis Europa ſuis ? hos æſtimo : verùm
Quot ſunt ? quàm rari nantes ? hoc forſitan æuo
Plures invenias. In ſpes, & facta, minásque
Excrevit iuſtas Tampier, metuendus & Auſtro,
Et Boreæ, noſtris non indigniſſimus armis.
Ille manu pollens, nobisque inflatus anhelis,
Obvia fulmineo proſtraverat agmina curſu.
Heu! miſer Hungaricis tandem truncatur in agris,
(Ad capulum rediere manus, vagináque fulgur
Sponte ſuá atrocis gladij promovit in auras

Bucquoyus

Dimidium, visúsque aliquem voluiſſe ferire)
Major, & ingenio melior Bucquoyus, in ira
Conſilij tenuit placidum moderamen, & uſum
Cautior: ac poterat clari ſublime mereri
Nominis auſpicium: ſi non conciſus ab hoſte,
Seriùs æternos ſe conieciſſet in orbes,
Magnarum ſedes animarum. Cætera belli
Fulmina (nam noſco) ſummis quæ ex nubibus orbi
Demiſſa, atque Aquilas ſunt defenſura: coruſcent,
Et vivant, utinámque diu: canet illa ſacratis
Poſteritas venerata locis: nam quæ altera flagrant
Fulmina in Oetæo quercus ſternentia luco,
Nemo colit: niſi quando coquunt inventa novercæ.

M. Tillius

Num tamen ex iſtis quisquam mihi TILLIVS alter?
(Dixit & ad ſacram contorſit lumina tumbam)
Qui per luſtra decem tantis exercita bellis,
In campo plauſtrum licèt obvertente Boote,
Quinquaginta hyemes alſit, totidémque ſitivit

Æſtates

Æſtates, quando calidum latraverat aſtrum?
Impatiens non magna pati, virtutibus altam
Infodit mentem, terras ſulcare nivoſas,
Scindere torrentes; incumbentémque Planetam
Ferre die medio, vel ſicci ſideris Arcton,
Ludus erant. Quoties ſum contemplatus ab alto,
Et dixi, æqualem ſibi non habet iſte: triumphet!
Vſque adeo! ut taceam caſtæ miracula vitæ,
Ipſe quibus careo. Sunt hæc nimis ardua nobis,
Nec nova tam ducibus, quàm prodigioſa videntur:
Ex quo me lepido conſtrinxit Lemnius auro.
TILLIVS exceſſit veterum laudata tubarum
Facta, ſecuturis fors non imitabilis annis:
TILLIVS immenſum bellíque volubile pondus
Suſtinuit portante manu: neque mitia iura
Sævior evertit, neque nulla coërcuit arma.
Civibus impoſuit leges, & legibus enſes
Subdidit, ut famulos; ferróque inflexit olivam.
(Sic ait & lacrimis rigat exultantibus ora:
Quippe furor primus per verba atrocia dudum
Deſijt egeſtus, iuvat indulgere cadenti
Per faciem nimbo: nec ſcit, cur gaudeat iſtâ
Tempeſtate frui: iuvat illum ignota voluptas
Flendi: nam nunquam dum Mars eſt, fleverat antè.
Vix hæc: cùm rurſum rapiente animoſus in æſtu:)
Hic tamen auſa lues, quiquis: niſi
Nunquam equidem gelidas terras, glaciatáque cruſtis
Marmora, pérque nives Hunnum aſpernabar euntem:
Et mihi dilecta eſt Rhodope; quia frigida: & horrens
Caucaſus, & ſummi, nimboſa cubilia, montes:
Sed quia peccâſti temeraria; crimine pœnam
Inſueto dignam meruiſti: noveris ergo,
Quòd ſis infelix, inviſáque Suecia Marti.
(Haſtam criſpavit, ſignum indubitabile mentis

Firmata, ac certa nota conceptiſſima pœna)

Lycus nobilitatur & fit novus fluvius

Tu verò, Lyce, Lympha tepens, non maſculus amnis
Nec fluvijs Ponti de nobilioribus unus:
Propter cuius aquas & littora maximus Heros
Procubuit, jam nunc à me donabere fama
Maiori, tituléque novo, licèt Albis, & Iſter,
Et Rhenus, ſimiléſque Dij ſpumoſiùs intrent
Oceanum, certéntque ingenti cornua gyro
Circumferre alacres, Neptunóque addere nomen:
Ac bellatrices mihi non ſemel antè carinas
Obtulerint, glaucos equites, & cærula terga:
Tu tantùm molli iaceas declivis in ulva,
Imbelliſque choro ſtrepitum moduleris aquarum,
Colludendo tuis vada per nitidiſſima bullis:
Aut ſi qua eſt Galatea tibi, quæ ludere nôrit,
Colludas: vel plectra movens reſonantia cantu,
Alliſum carmen vexes in margine ripæ.
Inde per occultos plumbi ſerpendo meatus
Miſſilium undarum argentum jaculeris in auras:
Vt ſic feſtivi ſaliant ad murmura fontes,
Labendóque micent. nunc ut tibi gloria proſit
Alterius, faciátque Auguſtam TILLIVS urbem:
Poſthac fluminibus ſemper celebrabere noſtris,
Styrmonáque ac Hebrum Frater ſecurus adibis.
I modò.

Mars ita fatus actutum è conſpectu ſe proripuit. ſive quòd dolorem ex præſentia Funeris creſcere adverteret: ſive ut mortem hanc ulturus, in Suecum illum pœnas moliretur. Varia ſuper hoc abitu colloquia miſcuerunt Deæ. Boiaria haud ægrè habuit. Belgium triſtabatur: volebat enim ab ipſo percunctari quædam, ſeptemdecim Provincijs ſuis perquam neceſ-

neceſſaria. Auſtria contenta munere Gladij Tilliani, non putavit eſſe ſibi lugendum propterea, quòd Mars abſceſſerat. Ergo in munus ſuum defixa, illud oſculis preſſit, gremióque iterum repoſuit, iterúmque in manus ſumpſit: & mutavit vota pro lubitu, ſéque ipſa compotem fecit. Nonnunquam alloquens numeros trepidantes, lætiore ſono adiunxit.

Enſis chare mihi, nullum fruſtrate lacertum,
Præſidium belli, Deliciúmque meum.
Non equidem à veteri Domino ſtringeris in hoſtem,
Promiſsíque bibens morte fruêre viri:
Non in vaginam te ſparſum ſanguine condet
Belgica, quæ quondam, nobilis illa manus.
Ac fors jam ſentis, quòd ſolùm femina geſtet.
ô! utinam, quæ ſim, quantáque Diva, ſcias!
Ne pudeat: non ſum communi è plebe Dearum:
Femina ſum; mens eſt córque virile mihi.
Per me, quod nunquam forſan rebare futurum,
In magni poteris Cæſaris ire manus.
Cuncta tibi cedunt multis è millibus arma,
In quibus inſignes emicuere Duces.
Actoris Aurunci ſpolium, ingens lancea Turni:
Et patris Æneæ, fulmineique Phrygis.
Nec tua ſe poterunt conferre Ancilia, Romæ
Conditor, è cælo ſint ea lapſa licèt,
Nec tuus Æacida clypeus: quanquam ejus honori
Fixit adorandum Græcia tota jubar.
Ipſe negat Mavors, ferri tam nobilis uſu,
Terra ferox, natos ſe domuiſſe tuos.

M. Tillii gladium. quē Mars donaverat. Auſtria in amoribus habet.

Enſis

gor abſumptus. Tillius mortalium caſtris exceſſit. Deſinite mirari defectas vires: cauſſam tumulus tegit, manibus mortuis nemo pugnat. Duce Tillio defuncto, tam citò non vincetis. Sed confidite: fortaſſe ipſius manes bellicoſi in pectore principum veſtrorum ſedent, excitaturi milites ad bella, vímque & robur afflantes. Dicentem hæc Alphonſum monui, ut ad tumbam oculos converteret: ibi Mars novis funeribus atque manibus videbatur excruciari, qui utcunque priùs luctu defatigatum ſe ſaturaverat. Subitò turbatam aciem excuſſit oculis: recruduit dolor, & ululatu inter non intellecta verba ſtridente, pulſavit os hians, & ridens, mœſtus & ferox. Sæpe aliquid quaſi exprobraturus, iterum conticuit: ſæpe ad tumbam converſus, averſúsque, ſurſum deorſúmque oculos torſit. Opinabamur, hos motus, ut inceperant, intra doloris ſilentium hæſuros: cùm ille altiſſima voce intonuit.

Expoſtulat Mars coram Jove: quòd ſe quidem præfecerit bellis, multa pollicitus, maximè viros bellicis muneribus aptos, illos autem vel nullos vel paucos dederit, citóque abſtulerit datos: inter quos omnes affirmat, ſe vix ullum M. Tillio ſimilem habuiſſe. Lycum, ad cujus ripam vulnus accepit, inter celeberrima flumina recenſet,

SEd jam tu (neque enim credam) promittere ceſſa,
Iupiter O! meminiſſe potes, quòd, quando Gradivo

Clan.

Clangentéſque tubas, mortéſque & bella dediſti,
Dixeris: I. Mavors, noſtriſque favoribus uſus
Armorum tibi iura tene. regat ille diſertum
Florentémque Chorum, Muſis addictus & hortis:
Ille refrenet aquas: hic gymnada Caſtoris intret:
Alter agat cervos; pacem ſibi vendicet alter.
Tu Mars bella rege, & fatis adverte ſecundis
Implacidos vultus; ut caſus ferre ſiniſtros
Aſſueſcant homines; & ne corruptior Orbis
Per Cyprios æſtus, Thyrſóque ſubactus in umbram
Diffluat; atque adeò ſegni formidine marcens
Totus molleſcat paulatim, ut fœmina, Mundus.
Nec diffide: viros dabimus tibi, ſemideóſque,
Heroáſque, Ducéſque ex ſanguine Semideorum.
Dixit, & ad ſacram contorſit lumina tumbam.
Non nego; promiſſos in noſtris vidimus armis
Stare aliquos: ſed quàm paucos, quàm tempore nullo:
Quàm citò ſunt iterum revocati ad ſidera, & unde
Venerunt, rediere ſtatim, plerumque cruentis
Exagitati odijs, fortunæ & iniqua ferentes
Præmia bellorum, memori vix funere noti.
Non numero: neque enim faſtis aſſuevimus iſtis,
Otia, facundiſque dies comburere nugis.
Vera tamen memoro, dixiſti aliquando: quid ægrè
Angeris, accuſáſque tuæ diſpendia ſortis?
Cerne aciem Cadmi: vel ab uno dentis adunci
Semine, quàm denſus miles naſcatur in herba
Bellipotente tibi, virides in corpore ſulci
Germen agunt, atque erectas ſeges ingerit haſtas.
Vidi equidem, & placuere mihi, mox ſæva colonum
Spica retrò voluet; Dyrcæáque meſſis in arma
Mutua porrigitur, ſtrages ſine falce fit, & ſe
Ipſum, quod natum eſt, metit: occiduntur ariſtæ

Maximi Duces plerumque tumultuario funere elati. ComesSerin' Tampier. Bucquoius

Acies admic.

Armiſona, funúsque crepant: pérque horrida fratres
Vulnera Cadmæi, te fors ridente duellum,
Exſpirant: ita nos, ita nos armamur in arma
Sic ſumus inſtructi: (viſúsque hic pluribus ipſum
Contempſiſſe Iovem) talis me exercitus ambit,
Milites ex quercu nati. *Pòſt iterum dicis, quid Cadmi jugera curas*
Seminibus funeſta ſuis? cunabula quercus
Militia generoſa dabit: trudetur ab orno
Bellatrix ſoboles, ut ſint durata labore
Corpora, nec vultus retrahant aut ſolis ab æſtu,
Aut hyemis glacie: pueros invenésque frementes
Non cum vagitu tenero Lucina levabit;
Sed Dodona potens ex noſtro múnere, rupto
Fagus hians utero, ſciſſoque ex cortice natos
Effundet, mox arma manu, mox cornua criſta
Quærentes; totisque palàm reſonabit in agris
Grande puerperium ſilvarum, atque horridus infans.
Et vix audebunt venti nemus hoc afflare.
Tunc tibi delectus moveat faſtidia forſan.
Vah! mihi quæ delectus adhuc faſtidia movit.
Iſte modus generandi acies quot, quæſo, per annos
Duravit? tribus exactis ſine pignoris uſu,
Cæperunt paſſim tota ſterileſcere ſilua.
Atque hæc damna quidem, te concedente, vel ipſi
Debuimus penſare, patris cùm nomina ſumpſi,
Et mea progenies aſpexit Romulus auras.
Romani Duces consules. *Tunc plures mea bella duces coluere, ſegésque*
Amplior enata eſt, validisque inſtructior armis.
Scipiadæ, Pyrrhi, Serranus, Galba, Camillus,
Mutius, Æmilius, Cocles, gens Claudia, Brutus,
Marcellique truces, formidandique Metelli,
Fabricij, Curij, Fabiíque, & Horatius unus
Ac triplex, Deciique patres, tua numina, Roma.
Quin & ſexus iners aliàs, ac mollior annis

Cap:t

Cœpit Amazonijs Latium defendere peltis.
Vlta pudicitiam pectus Lucretia caſto
Sanguine conſperſit moriens ; meliórque Sabinis
Clælia, per medium Tyberim captiva natavit.
Verùm etiam ſenſim (quid enim non ſegnior ætas
Imminuit?) ſacer ex oculis euanuit ardor,
Spiritus ille ferox bellorum, & noſtra voluptas.
Cæſar erat. Pompeius erat, non ſprevero: novi,
Novi illos: utriusque mihi bene cognita laus eſt.
Et virtus, vitiúmque ſimul, maculatáque tabo
Ambitio, & mediam tumulans Pharſalia Romam.
Adfueram ſtragi, licèt invitúsque, voléns que
Sanguineum prohibere nefas. Sed Roma ſub haſta
Tunc ſtetit, & totum venalis facta per orbem,
Cui Domino pareret, erat. Quæ monſtra ſecuta
Cæſaris Auguſti manes? fœdiſſima rerum
Luxuries ſcelerum cumulo perfuderat urnas,
Et ſiccum cinerem infecit truculenta libido.
Nerva potens, melior Traianus: at omnibus iſtis Romani Duces poſt Cæſarem Auguſtum Nerva Traianus Conſtantinus.
Fortior incubuit mihi Conſtantinus, eburno
Vt ſolio dignus, ſic longè dignior aſtris.
E ducibus tamen egregijs, quos ſæcula nobis
Oſtendere, novum, quotus eſt, qui oſtendere vulnus
Audeat, atque emptas magno jactare triumphos
Me coram! facile eſt, ſi Mars non audiat, enſem &
Tela coruſcare, & ſpumantem ducere rictum
In proprias laudes; ceu mille cadavera flatu
Vno difflâſſet. Facile eſt, hoc dicere, Vici.
Sed pugnâſſe, pedem nunquam vertiſſe, decorum eſt,
Hoc decet ætherios animos. Beliſarius audax, Beliſarius Stilico.
Immodicus ſceptri Stilico regalis, uterque
Fœdârunt vitijs palmas, trabeáſque cruore
Innocuo: Marij ſicâ Syllaque parati;

 Oppreſſa

Digitized by Google

Oppreſſa morbis venas incidere Roma,
Et magnum Patria jugulum. (facundia Marti,
Vnde hac, & ſapiens magnis de rebus acumen ?

Duces Chriſtiani Bragadinus, Venerius Ioannes Auſtriacus Columna Tampier

Quin potiùs laudem Bragadinum, & Echinadas inter
Venerium Venetum ? maris, undarúmque potentem
Auſtriacum Quinti ? quóque eſt innixa Columna
In bellis Europa ſuis ? hos aſtimo : verùm
Quot ſunt ? quàm rari nantes ? hoc forſitan aua
Plures invenias. In ſpes, & facta, minásque
Excrevit iuſtas Tampier, metuendus & Auſtro,
Et Borea, noſtris non indigniſſimus armis.
Ille manu pollens, nobiſque inflatus anhelis,
Obvia fulmineo proſtraverat agmina curſu.
Heu! miſer Hungaricis tandem truncatur in agris,
(Ad capulum rediere manus, vagináque fulgur
Sponte ſuâ atrocis gladij promovit in auras

Bucquoyus

Dimidium, viſúſque aliquem voluiſſe ferire)
Major, & ingenio melior Bucquoyus, in ira
Conſilij tenuit placidum moderamen, & uſum
Cautior: ac poterat clari ſublime mereri
Nominis auſpicium: ſi non conciſus ab hoſte,
Seriùs æternos ſe conieciſſet in orbes,
Magnarum ſedes animarum. Cætera belli
Fulmina (nam noſco) ſummis qua ex nubibus orbi
Demiſſa, atque Aquilas ſunt defenſura: coruſcent,
Et vivant, utinámque diu! canet illa ſacratis
Poſteritas venerata locis: nam qua altera flagrant
Fulmina in Oetao quercus ſternentia luco,
Nemo colit: niſi quando coquunt inventa noverca.

M. Tillius

Num tamen ex iſtis quiſquam mihi TILLIVS alter?
(Dixit & ad ſacram contorſit lumina tumbam)
Qui per luſtra decem ſantis exercita bellis,
In campo plauſtrum licèt obvertente Boote,
Quinquaginta hyemes alſit, totidémque ſitivit

Æſtans

Æſtates, quando calidum latraverat aſtrum?
Impatiens non magna pati, virtutibus altam
Infodit mentem, terras ſulcare nivoſas,
Scindere torrentes; incumbentémque Planetam
Ferre die medio, vel ſicci ſideris Arcton,
Ludus erant. Quoties ſum contemplatus ab alto,
Et dixi, æqualem ſibi non habet iſte: triumphet!
Vſque adeo! ut taceam caſtæ miracula vitæ,
Ipſe quibus careo. Sunt hæc nimis ardua nobis,
Nec nova tam ducibus, quàm prodigioſa videntur:
Ex quo me lepido conſtrinxit Lemnius auro.
TILLIVS exceſſit veterum laudata tubarum
Facta, ſecuturis fors non imitabilis annis:
TILLIVS immenſum bellíque volubile pondus
Suſtinuit portante manu: neque mitia iura
Savior evertit, neque nulla coërcuit arma.
Civibus impoſuit leges, & legibus enſes
Subdidit, ut famulos, ferróque inflexit olivam.
(Sic ait & lacrimis rigat exultantibus ora:
Quippe furor primus per verba atrocia dudum
Deſijt egeſtus, iuvat indulgere cadenti
Per faciem nimbo: nec ſcit, cur gaudeat iſtâ
Tempeſtate frui: iuvat illum ignota voluptas
Flendi: nam nunquam dum Mars eſt, fleverat antè.
Vix hæc: cùm rurſum rapiente animoſus in æſtu:)
Hic tamen auſa lues, quiquis: niſi
Nunquam equidem gelidas terras, glaciatáque cruſtis
Marmora, pérque nives Hunnum aſpernabar euntem:
Et mihi dilecta eſt Rhodope; quia frigida: & horrens
Caucaſus, & ſummi, nimboſa cubilia, montes:
Sed quia peccâſti temeraria; crimine pœnam
Inſueto dignam meruiſti: noveris ergo,
Quòd ſis infelix, inviſáque Suecia Marti.
(Haſtam criſpavit, ſignum indubitabile mentis

Firmata, at certa nota conceptiſſima pœna)

Lycus nobilitatur & fit novus fluvius

Tu verò, Lyce, Lympha tepens, non maſculus amnis
Nec fluvijs Ponti de nobilioribus unus:
Propter cuius aquas & littora maximus Heros
Procubuit, jam nunc à me donabere fama
Maiori, titulóque novo, licèt Albis, & Iſter,
Et Rhenus, ſimiléſque Dij ſpumoſiùs intrent
Oceanum, certéntque ingenti cornua gyro
Circumferre alacres, Neptunóque addere nomen:
Ac bellatrices mihi non ſemel antè carinas
Obtulerint, glaucos equites, & cærula terga:
Tu tantùm molli iaceas declivis in ulva,
Imbellique choro ſtrepitum moduleris aquarum,
Colludendo tuis vada per nitidiſſima bullis:
Aut ſi qua eſt Galatea tibi, quæ ludere nôrit,
Colludas: vel plectra movens reſonantia cantu,
Alliſum carmen vexes in margine ripæ.
Inde per occultos plumbi ſerpendo meatus
Miſſilium undarum argentum jaculeris in auras:
Vt ſic feſtivi ſaliant ad murmura fontes,
Labendóque micent. nunc ut tibi gloria proſit
Alterius, faciátque Auguſtam TILLIVS *urbem:*
Poſthac fluminibus ſemper celebrabere noſtris,
Styrmonáque ac Hebrum Frater ſecurus adibis.
I modò.

Mars ita fatus actutum è conſpectu ſe proripuit. ſive quòd dolorem ex præſentia Funeris creſcere adverteret: ſive ut mortem hanc ulturus, in Suecum illum pœnas moliretur. Varia ſuper hoc abitu colloquia miſcuerunt Deæ. Boiaria haud ægrè habuit. Belgium triſtabatur: volebat enim ab ipſo percunctari quædam, ſeptemdecim Provincijs ſuis perquam neceſ-

neceſſaria. Auſtria contenta munere GLADIJ TILLIANI, non putavit eſſe ſibi lugendum propterea, quòd Mars abſceſſerat. Ergo in munus ſuum defixa, illud oſculis preſſit, gremióque iterum repoſuit, iterúmque in manus ſumpſit: & mutavit vota pro lubitu, ſéque ipſa compotem fecit. Nonnunquam alloquens numeros trepidantes, lætiore ſono adiunxit.

M. Tillii gladium, quē Mars donaverat, Auſtria in amoribus habet.

Enſis chare mihi, nullum fruſtrate lacertum,
Præſidium belli, Deliciúmque meum.
Non equidem à veteri Domino ſtringeris in hoſtem,
Promiſſique bibens morte fruère viri:
Non in vaginam te ſparſum ſanguine condet
Belgica, quæ quondam, nobilis illa manus.
Ac fors jam ſentis, quòd ſolùm femina geſtet.
ô! utinam, quæ ſim, quantáque Diva, ſcias!
Ne pudeat: non ſum communi è plebe Dearum:
Femina ſum; mens eſt córque virile mihi.
Per me, quod nunquam forſan rebare futurum,
In magni poteris Cæſaris ire manus.
Cuncta tibi cedunt multis è millibus arma,
In quibus inſignes emicuere Duces.
Actoris Aurunci ſpolium, ingens lancea Turni:
Et patris Æneæ, fulmineique Phrygis.
Nec tua ſe poterunt conferre Ancilia, Roma
Conditor, è cælo ſint ea lapſa licèt,
Nec tuus Æacida clypeus: quanquam ejus honori
Fixit adorandum Græcia tota jubar.
Ipſe negat Mavors, ferri tam nobilis uſu,
Terra ferox, natos ſe domuiſſe tuos.

Enſis

Digitized by Google

Enſis chare mihi, nullam fruſtrate lacertum
Præſidium belli, Deliciúmque meum.

Sed jam Belgium ſæpius in illum Gladium imminens, ignara tamen, Tillianvm eſſe; ubi totam rem Martíſque donativum intellexit, varijs primùm cogitationibus diſtraxit animum, impedita, ſéque ipſam quærens: quæ verò tu ex M. Tillij armis conſecuta es? cuius rei memoriâ iacturam Alumni ſolaberis tui? quid poſteris in baſium vel oculos dabis? quid oſtendes? non Galeam, non Clypeum, non vexillum tibi conceſſit: & tamen iura naturæ, honórque maternus potiora debuiſſent ornamenta impetrare. Cur non petis, utérisque iure tuo? cur non ſolicitas? Ecce Auſtria ſuperbit iſto ſpolio, audétque oblivisci luctûs, gaudij cauſam habere ſe arbitrata, quia enſem ejus habet, qui lugetur. Deinde Boiariam ea propter conſulit; paucíſque ſermonibus mixtis, cùm audiſſet votum precéſque Cæſaris, acquievit quidem deabus: ſed moram adventûs ſui, atque infortunium conqueſta, in calamitoſas gemitúque acerrimo iuterruptas voces ſe effudit. Miſerandam me! quam talem Deam eſſe pœnitet, & Reginam dici pudet: ut quæ omnibus infortunijs obnoxia vivo. Ingrata patria, ne oſſa quidem mea habes; objecit olim Scipio Africanus Romæ (etiam Roma ad hæc dicta ingemuit: mirum! poſt tot annos) Quid autem Tillius mihi exprobrabit? in aliena terra iaceo, tumulum

lum altera mihi conſtruxit : altera Gladium habet. Pleraque ſupellex diſtributa diverſorum Principum vel ornat aulas, vel honorat ſacraria.

Fateor, ô M. Tilly, culpam: mihi imputo, quòd deſtituta ſolatijs, ne quidem Enſem tuum merita ſum aſſervare. Nempe quis eo ſæpius utatur, aut quem major impellat neceſſitas, quàm Belgium? Sexaginta iam annis bella geſſi continua, horrida, ambigua: crudelia omnis generis. Solet tamen ipſe Mars me theatrum ſuum nuncupare, in quo tragicis ſpectaculis implet oculos, nec antè deſiſtit, quàm ſaturaverit vota. Semper in procinctu mihi ſtandum eſt. Serimus & conſerimus manus, quibus & ſarculum & gladium gerimus, ſegetes & acies metimus; dúmque meſſor ex galea bibit, paſtorales cantus confundunt claſſica. Sanguine imbuuntur ſpicæ, & pingui tabo terra nutritur: armati coloni terram proſcindunt: ſub vomeribus crepant oſſa: & equis cataphractis in horrea pabulum devehitur: parvo tempore, quot obſidiones ſuſtinui? quot hoſtes debellavi? quibus copijs obviam iui? tot incendijs deformata, vix me in primos vultus colligo, inſtauróque perditum decus: per Berecynthiam Matrem! (iurando concuſſerat caput) neque ego olim malè turrita fui. Vrbes, oppida, pagi, arces, ſilvæ flumina venuſtatem mihi metipſi ingerunt meam. Atque ut modeſtè ſentiam de me, ſpecioſa tamen

Digitized by Google

etiam alijs videor in paucis. Certè tam multos procos ego non emi. Spontanei ſunt in obſequia, & ambiunt: neque verò detrecto. Mars & Apollo ambitioſis à me pendent votis, rivalíque cupiditate rixantur. Quoties ille dixit: Belgium! quid vilium litterarum marcebis otio? canenda fac; pulchriùs illud eſt. Obnoxia mihi, toti orbi inclareſces: & belli tuba flante, utique in auras ibit celebre nomen: ad arma nata es: decet te ſudor. An tu lauri aliquot folia, eáque paupertatis pretio plerumque emenda, Romanis præferes triumphis? hi te exſpectant, ſi mihi dura non es. Quos Poëtæ aridi ſterilisque famæ ſolùm concinunt, ego tibi novos orbes oſtendam; piſcaberis gemmas: vexilla ijs arenis infiges, quæ aurum oſtrúmque protrudunt: ignota æquora, divitésque inſulas patefaciam: ut reſiſtant aliqui, arma hæc mea perfringent. Viciſſim Apollo vibrans nuptialis facundiæ plectrum, alteris permulſit lenocinijs: Belgium! ſi neſcis, pax Deas ornat. Pace cumulantur opes, paci Charites gratulantur. Vt ſequaris caſtra, nunquid hæc propter pacis amœniſſimæ bonum? quod abſens quantis ſuſpirijs efflagitent Cives, experiris plùs ſatis. Me ama, & efficiam, ut non Pallas, ſed tu ex cerebro Iovis, nata videaris. Quidquid reconditum in canoris rupibus, abſtruſæque ſcientiæ in ſilvis latet, offe-

offero. Nemorum religioſos ſaltus, ſacros fontes, ſpirantéſque fluvios cape. Tu inter novem Muſas Domina conſidebis. Scis tamen ipſa, Marti crudum ingenium eſſe, neque ſublimium rerum capax. Pugnat: pugnet: tu ſuavitatibus flore tuis. Vincit: vincat: num ſine ſanguine, ſine mortibus, ſine flagitijs? Triumphat: triumphet: quantula gloria? quàm brevis, quàm vana? ſi diuturnam haberet, aut ipſe conſequi poſſet; non meorum vatum emeret tubas & verſus, contentus ſuâ famâ. Atqui, quod te maximè allicere debeat, immortalitas è noſtris manat præſagijs. Denique quanta res eſt, militem eſſe, muros erigere, foſſas deprimere, valla attollere, turres concutere, occidere, mactare, diripere, incendere? tamen & Scythæ, Geloni, Garamantes id ipſum poſſunt, fors meliùs. Quin ſacer, ô nobilis Dea, ô digna me ſolo! ſacer & doctus impleat furor Deas, non tam profanus ac nocens. Quid? nónne & ego arcum pharetrámque geſto? verùm non glorior. Citharam præfero, ebúrque, & chordas. Quòd ſi Mars ſe magnum putet, quia ſpectante Jove gigantes proſtraverit: & nos quoque interfuimus pugnæ: ingentem & ego Pythona. Quid facerem tam potentibus ſtipata procis? utrumque non reſpui, neutri illigata. Artes in edito ſunt, bella reſtabant ad ENSEM TILLIANVM exigenda: quo in alterius manum conveniente, quî conſequi valeam

 voto-

Digitized by Google

votorum optabiles ſucceſſus, non video. Ah! hæc ego? Superi! meruimus tamen, & fateor. Sed tu, qui ingenti gladio diſcriminas axem, tuum ſaltem, Orion, ne nega.

Præcepta militandi accipit Belgium

Boiaria mœrenti Belgio amica verba transfudit: nimirum in laude hoc ponendum eſſe, quòd Cæſar præripuerit. Si verò optima militandi præcepta domum & in Belgicam, Bellantium Academiam referre velit; ſe, quæ à Tillio audiviſſet, communicaturam: annuit. Tunc illa peculiaris & placidiſſimi genij verſus, ſinceráque Caſtalide delibutos æquabili tractu diffudit; ea documenta poſteris commendans, quæ ne Theodoſio quidem omnia, Honorio inculcanda, apud non ignobilem vatem, in mentem metrúmque veniſſe videantur.

Tempus erat, quo ſe ſpicis flaventibus æſtas
Induit, & campos maturis frugibus ornat,
Me quoque: Danorum domitâ regaliter irâ,
Cùm ſuper umbroſa ſediſſet Tillius *alno:*
Iuxtà ingens thorax, & ſacri ponderis enſis:
Arridens dixi: nunc Tilly *animoſe quieſce:*
Pugnatum ſatis eſt: agitans ſua ventus & arcus
Otia: tot curis pectus mortale fatiſcit.
Ille minùs blando vultu me aſpexit, & an me,
Diua, putas fractum bello, feſſúmque labore,
Quòd victas aliquot gentes in fœdera Martis
Compulerim? (fateor toruo me terruit ore,
Et placuit tamen, & gaudebam iurgia ferre)
Non tam molle meos armorum exercuit annos
Auſpicium, ut validas vires, & ab indole noſtra

Majores

Majores dubitem reliquis offerre triumphis.
Si Iuvenem exorſus, virtuti immania feci
Vota, nec in ſegni recubans (ſcis Gallia) ſponda,
Fortis anhelavi magnas protrudere curas
Ingenij, bellóque manus implere capaces:
Quæ reſtant patranda viro? primordia rerum
Me revoluta docent, urgéntque ſequentia facta.
Atque ut certa ſcias belli documenta, tuiſque
Commendes Ducibus, non hæc memorare gravabor. Documenta belli cunctis militibus atq; Ducibus ex *M.* Tillii mente obſervanda.
Prima Ducis virtus Pietas, & Numinis eſto I.
Cultus adorandi: neque enim Victoria cælo
Deſcendet palmámque feret; niſi rite vocata
Armatis precibus, noſtrum mittatur in orbem.
Si iurem, ſi devoveam: me fugerit illa
Ocyus, ut levis eſt; & motis auolat alis.
Miror ego: ſi qua venturi præſcia nubes
Tentetur, dicántque Duces; præſagia ventus
Spirat, & aſportant opulentum flumina bellum:
Cras me fulgenti feriet victoria penna;
Aëra per, volucrum gens roſtro corruit unco:
Vidimus imbutas plumis ſtillantibus auras
Confluere, & cælo bis ſeptem plaudere cygnos.
Sanguineo vapor igne tremens concuſſit Olympum:
Tres orti ſoles: turbavit Cynthia vultum:
Fulſerunt rubræ ſummis de montibus haſtæ.
Qui pius eſt, Numénque colit, nihil omnia curat:
Ipſe ſibi augur erit, diſcétque interprete vita
Certiùs, an fauſtis ſit bellaturus in armis.
Altera militiæ Rectoris cura ſit, inſons II.
Splendor & integritas caſta clariſſima vitæ.
Quidquid agas, licèt ad finem perduxeris ingens
Et ſumma virtutis opus, victórque voceris:
Si tamen illicitæ Veneri, ſi ceſſeris igni;
Victus es, evertítque decus damnoſa libido.

Adde, quòd efficiat timidum, exarmétque voluptas:
Dum ſemper metuit, ne noxia gaudia perdat,
Quæ tam poſſe Deum novit, quàm perdere velle.
Denique debilitat vires, animúmque potentem
Enervat dignâ magnis Heroibus irâ:
Inque vicem, molles ſenſus tenebráſque relinquit
Illecebris fœdas, vel, cùm tuba nuntiat hoſtem,
Stertit, & aſtrictos capulis effeminat enſes.

III. *Sint Phrygij ſanè tales: tamen altera Belgam,*
Altera Germanum vivendi norma decebit.
Verùm ut flagitij ſtimulos flammámque retundas,
Magna mente opus eſt: quæ non circumdata luxu
Æſtuat in prædis, vel in otia mergitur ima.
Ille Deo ſimilis, quem belli roborat uſus,
Cura labórque iuvat, morborum tædia mulcent:
Sub dio perferre nives, ex caſſide putrem
Quando opus eſt, potare lacum, tolerare calentis
Solſtitium cæli, rigidas admittere noctes
Flante noto, clypeis gelidam abſtergere pruinam!
Hoc decus, hic honor eſt, tunc mens erectior inter
Adverſos caſus, velut intractabile marmor,
Stat, nec luxuriæ ſpumoſo tunditur æſtu.

IV. *Dura ſilex virtute riget: ſed ſæpe caducis*
In venam molleſcit aquis, minuítque rigorem
Gutta cavans: ita cui pectus contra omnia fata,
Adverſus vitium quodcunque adamantina frons eſt:
Cedet, ubi nimius pateris vergentibus humor
Illapſus, vino ſaturos molliverit artus.
Is, cui caſta placent, ſtudeat frugalibus uti
Ad menſas epulis, non faſtidita vocare
Pocula, non vino temulantas urere noctes.
Mars certat campo, Bacchus flacceſcit in uva
Deſidis Autumni: nihil hic, ſi milite famâ
Certamus, præter Gangem ſubiecit & Indos,

Inſa-

Digitized by Google

Infamem populum, thyrſo pugnante ſubactum.
Afra ſitis, Rhodopæa fames, Alemannica bella,
Sunt magni fomenta Ducis, veréque virilis
Gloria: luxus iners, tardéque aſſurgit honori.
Vt taceam, quæ damna creet: dum ſæpe per herbas
Diſtentis, caſtriſque mero marcentibus hoſtis
Improviſus adeſt, inopináque funera ſtipat.
Heu! quoties fixit temulentos lancea ſomnos!
Iam ſi libertas animi, fructúſque triumphi
Quæritur: affectus priùs, inteſtináque bella
Dux ſubigat, motúſque truces avidóſque nocendi. V.
Qui ſibi non ſervit, meliori iure verendas
Dat populo leges, dignus, cui pareat alter:
Imperet, imperiúmque à ſe moderatiùs orſus,
Præludat belli faſtis. nam ſi quà coorta eſt
Seditio, iámque arma fremunt: tunc ille tumultum
Pacabit citiùs; qui ſe pacaverit antè.
Subiectos amet, & ſtudeat non emptor amari,
Sed gratis. Plauſus, qui conciliatur ab auro,
Cum vano fulgore perit; favor optimus, æqua VI.
Conditio, faciet mentem tibi militis æquam.
Caſtra Ducem cingant, & feſto murmure laudent
Munificum, iuſtúmque ſimul fateantur, ut ornet
Altera laus primam; ſine qua neque prima decora eſt.
Cùm Pater *appellor, méque omni voce recluſâ*
Caſſis, & excelſi pendens de vertice coni
Per medias acies equitantem criſta ſalutat:
Nomine delector, ſtudeóque implere, Patrémque
Vultu, oculis, manibúſque fero. ſic lætor amari.
Hoſtem non timeat, verùm timeatur ab hoſte:
Si campus, fortuna, dies, momentáque rerum VII.
Non alias artes, & callidiora requirant,
Pro certis inventa locis. ſemel eſſe fugatum

Et

Et retrò ceſſiſſe nocet, niſi feceris aſtu.
Erigitur magis, & ſoltò iactantior hoſtis
Dat ſtrages, augétque metus, & cuntibus inſtat.

VIII. *Nec tamen audaces laudo, quibus omne futurum*
In tuto eſt, nimiáque tument præcordia flammâ.
Namque hi caligant ſucceſſibus, & vada cæci
Tentant, vel glaciem: quâ ſubſidente ruinam
Inveniunt, ſeróque gemunt: temeraria virtus
Amittit nomen, ratóque in prælia felix
Durat, & amiſſo ſtimulo mox languida torpet.

IX. *Qualiter, & forſan tractanda eſt cautiùs ira.*
Ne nimia cum bile fluat, directáque turbet
Conſilia, & miſeris captivum luctibus urat.
Qui furit, hoc ipſo nequit argumenta mereri
Laudis: at ira decens, compos rationis, habenas
Auditura, poteſt aliquid ſublime tueri.
Iſta ſuper fluctus natat, æquoreáſque procellas:
Quanquam æſtum retinens maris, bis, quibus inſidet, hoſtem
Fluctibus adverſum, & toto ſuperobruit æſtu.

X. *Dum bellum fervet, caveat, ne incautas aberret*
In ſpolia & prædas. Quoties Victoria lapſa
E manibus, nunquam voluit dimiſſa reverti?
Divitias primùm poſt pugnam dividat enſis:
Parcat ijs, qui vel teneris lactantur in annis,
Vel ſexu imbelles, vel proni ſupplice vultu,
Nunquam uſi ferro, veniam ſine voce precantur,
Quin debellatis multúmque nocentibus, iſtud
Ignoviſſe pium eſt, & ſæpius utile victo
Victorique ſimul. Si captam intraveris urbem
Spondentem faciles aditus, à fraude tuere
Martis, ab inſidijs, quòd ſi mandata recuſet,
Si promiſſa neges, ſi frangat fœdera: vindex
Aggredere, & terre: vi capta urbs, militis eſto.

Quan-

Quantùm flamma tamen, violentáque debeat ira
Graſſari: quando ſit ſuffocanda favilla,
Arbitrio metire tuo. prudentia formet
Iudicium: ſtrictos clementia dirigat enſes.
Hæc mihi tunc præcepta dedit ſuper arbore noſter
Tillips, ô! noſter, iam tantùm in parte relicta!
Dixit, & ad ſacram contorſit lumina tumbam.

Gratulabatur Alphonſus ſibi oblatam occaſionem, bellique anſam, quâ arreptâ commonere poſſet Symphorianum officij ſui, arduique ſtatûs, in quo viveret. Bellè itaque in rem ingreſſus, promiſcuè laudare cœpit omnia: ſed deſtinata mente difficultatem, ab imbelli pectore vix ſuperandam, oſtendere. Ego interea in Divas colloquentes, præſertim Auſtriam cum Boiaria intenderam; ita tamen, ut non omnino negligerem, quæ diſceptabat Alphonſus. Quis, ô M. Tilli, dictavit hæc oracula tibi, inquiebat, quibus omnium Ducum animos expertus erudires? An non ita eſt, Symphoriane, abſque his documentis militem larvam tantùm gerere, & figmentis uti? videas ſubinde non milites ad bella, ſed militares ſtatuas ad orgia adornari. O! ſi & hæc præcepta vivendi bellandíque, gladio in adamantem inciſa, capulo Martis obſignata, eodem honore, quo olim æui Romani Carbaſus, aſſervarentur legerentúrque tironibus in luſtrali campo! quanta ſeges victoriarum, triumphalibus quadrigis in urbes invehe-

M Tillii ſingularis laus à Chriſtianis virtutibus.

retur ? (Symphorianus ſtrictiſſima aure attendit :)

Caſtitas arduo bellatori neceſſaria M. Tillii ſummum ornamentum.

Tillius militem vult caſtum eſſe. Præivit exemplo: penè in miraculi modum fuit illi conceſſa hæc caſta dignitas, quemadmodum etiam fuit digna caſtitas, in miraculi modum dari. Ille averſum gerens animum ab humilibus contemptiſque rebus, in altiſſima ſcilicet voluptate ejus contemptum habuit: quo ipſo mihi etiam victorias ſuas, ſéque victorem viciſſe videtur. Quid enim illuſtrius illâ mente, quæ iſtis cupiditatibus ſuperior, in eminente fortuna, guſtat longè eminentius bonum continentiæ; neque illud corrumpi ſuſtinet amœno deceptæ mortalitatis malo? quid autem dignius ea virtute, cuius propria vis animum caducis eximit rebus? ſi videro militem Ducémque ad uxorias blanditias durum, ad illicitas etiam intractabilem; an malè ominari poſſim de reb' gerendis, de ſtrenuis conſilijs, de ſucceſſibus belli? Enimverò ſequiori judicio obnoxius, & non optimè ſentiens, tali me Heroi iniuriam facturum arbitrarer. Sin mollioris animi virum, Perſam aliquem aut Medum intuear; malè coniecero, non eſſe de priſca gēte aut ſemideis? Profectò ut glorioſum, eſt horrere in armis, ſudare ſub clypeo, aſſurgere in haſtas, tranare fluvios, nimbis nihil cedere, nōdum curatis corporib' opperiri hoſtem, provocare fortunam: ita accedente cæleſtis

rigore

rigore virtutis, & quaſi ignorantiâ quadam illecebrarum creſcit Martium decus, ac magnâ conſtantiæ laude, ſeveráque dignitate roboratur. Tillivs mehercule fuit ille, cui ad ardua tendenti nulla unquam femina occurrit. Symphorianus periodum Alphonſi detruncans, & ipſe repoſuit: ſive argutabatur iocosè, ſive ita ſentiebat. Quid, inquit, Alphonſe, prædicas miracula? cuiusvis animi non eſt, hos impetus omni belluâ ferociores vincere; deinde non eſt neceſſum, ut Martem acceſſurus, conjugem refugias. ſi neque ille propterea nomen & arma perdere cenſetur; cur nobis obſit neceſſaria voluptas, non inter Lemnia vincula deprehenſis, ſed legitimo fœdere obſtrictis? ſub platano pacis enutriti homines facili nimis animo tranſcurrunt caſtra: privatóque judicio militares rixas in abſentia componunt: ut taceam, moderato voluptatis uſu animos non diſſolvi: neque, ut imperiti conijciunt, enervari. Quis autem mihi probaturus eſt, caſtitatem in bello ſervari etiam à cautiſſimo poſſe? omnia in caſtris adverſùs eam coniurant; animi libertas, ratio vitæ, occaſio, profligati mores, nulla conſcientia: ut unus velit, quot obluctabuntur? ut multi cupiant, evertuntur tamen à pluribus proba pectora. Pace tua dixerim: obſtrictúsne ſum religione aliquâ, ut credam in Tillio cetera maximo, tam conſummatam continentiam fulſiſſe?

Alphonsvs è contrario: velim hîc mihi vacivas aures præbeas; docebere. Cùm proximis Comitiis Ratisbonenſibus, ut amat fieri in convivio, varios

Omni ævo memorabilis atteſtatio M. Tillii de

ſeipſo, iam quinquaginta quinque annis militante. in diverſiſſimis caſtris Anno M DC XXX.

ſermones miſceret epulantium hilaritas ; explicata bellorum indole, quidam effutire auſus eſt ; credere ſe, nullum militem vitijs intactum caſtra ſequi poſſe : nimirum abſque Veneris uſu, abuſu vini, & ſacrorum nominum, quæ armata impietas temerare conſuevit. M. Tillius, qui & ipſe accubuit, ut ſarcaſmum procacem flagranti veritate obrueret: *Atqui ego*, retorſit, *quinquaginta quinque jam annis bella gero , varijs periculis atque eventibus exercitatus ; affirmo tamen tibi , quæ gratia boni Numinis eſt, me feminam nunquam attigiſſe, ſacra verba nunquam profanâſſe, ſobrium fuiſſe ſemper.* Quid ais, Symphoriane ? tanto Duci abnuemus fidem ? an, quæ facta cernimus, fieri poſſe negabimus ? nempe præfidenti ſuis viribus, ſpoliisque gentium ac prædis ad flagitium oneranti corpus, conceſſerim & ego, caſtitatem deſperandam eſſe : non itidem illi, qui rerum fluxarum contemptor arduum virtutis opus molitur ; creditque ea omnia, quæ cum ſcelere delectant, infra magnitudinem herois poni. Errant, mihi crede, turpiſſimè errant, quicunque pugnaturi, voluptatibus indulgent : digni, quos Epaminondas aliquis, ea cum ignominia, quâ obeſos aqualiculos, expellat è caſtris. Num enim, quod paci vitio vertitur, bello in laudem cedet ? quod in urbibus coërcet pœna, in caſtris excuſabit protervia ? Cur igitur ejecit hos ganeones iſte abſque liberis glorioſus Thebanorum pater ? qua tandem in re viri fortes à timidis, utiles à proletarijs, ſtrenui ab ignavis different :

ſi

ſi vita quidem diverſis occupata eſt ſtudijs, ijsdem verò ſceleribus implicata? ſcisne, Symphoriane, cur Rex Pellæus captivas Perſicas, oculorum dolores nominaverit in militia? noſti, quare veteres Amazonem in annulo cælaverint? fortem nimirum Viraginem in corde Ducis æternitatis capaci. Fortitudinem, Conſtantiam in benè dotatam Conjugem ducat, quæ libertatem, non liberos pariat: quales etiam M. Tillius, non cum ulla femina mortali, ſed cum immortali Victoria communicavit. quæ quidem cum ampliſſima dote adhuc Juveni nupſerat, tam fidelis & ſincera, ut adultera nunquam audierit, fidem ſemper illæſam ſervârit. Non mihi hîc Lipſia ſuſpiciones ingerat violati tori: vicit & ibi Tillius; ubi plura facinora edidit, cùm vinci videretur, quàm cùm ſæpe vicit.

Ego verò & hoc contendo nunc: caſtitatis præſidio, magis defendi Ducem, quàm militum turmis. Siquidem omne vitium obſcurat hominis laudes, minúsque idoneum magnis rebus conficiendis reddit: neſcio autem, quid libido amplius in vires tentet, & animos in fæce reptantes proculcet: Unde qui voluptatem amant, plerumque ad hoſtis conſpectum trepidant: ſive ut ne perdant, quod amant; ſive ut ne ſentiant, quod timent. Phryges ſunt, & turgentibus tamen buccis perſonant triumphos. Infla tubam: pulſa tympana; flagellatis adſtabunt pectoribus, & ſolventur; ut, ſi nihil dicant, ſentiantur tamen expa-

veſcere. At integra mens in caſto corpore, aliter ſe habet. neſcit metuere inflectique; præſente hoſte præſentiùs erigitur: firmatur laboribus, mulcetur periculis. præteritarum rerum non pudet: in eventuras ſpei plena fertur, & decus excoquit militare. Ac vide, Symphoriane, quàm juſtis rationibus me tibi committam: quàm nihil ſuſceptæ cauſæ diffidam. Non exiſtimo eos tantùm bello ineptos, quos naturæ timiditas conſtringit, vel libido laxat, vel fortuna retardat. Credo etiam timidiorem indolem, illecebris tamen & vilitati non obnoxiam, ſubinde præclarè aſſurgere. opinor etiam infelicibus nonnunquam caſtitatis ſubſidium prodeſſe. Scio autem indubius, fortiſſimos quoſque & fortunæ chariſſimos, à libidine oppreſſos ſubversóſque eſſe. Scipio Africanus clauſis ante captam puellam oculis majorem triumphum vjdit, quàm cùm Carthaginem dedit peſſum. Finito Punico bello, ſimul atque caſtus eſſe deſijt, nec felix permanſit. Ille terror Romanorum Hannibal, quàm diu incubuit in Alpes aceto rumpendos, & glaciem ſæcularem horridis è rupibus ſubmovit, Ductor exercitûs rigidi, aſperi, inconcuſſi; tam diu victor in peregrino ſolo ſtetit. Vix Capuæ conſedit, emollitus deliciis & thermis, perijt ille vigor: invictus vinci potuit, quia Cannas ſuas Capuanas acceſſit. Conſtantior in hoc caſtæ mentis propoſito perſeveravit M. Tillius, in quo & vitam clauſit, effecitque; ut veterum exempla

Ducum

Ducum laudare quidem aliquando, ſed in comparationem admittere non debeamus. Diſce miles militare: Galba eſt, non Getulicus: vetus olim diſciplina in caſtris perſonuit. diſcat bellatrix poſteritas militare. Tillius eſt, non Hannibal, qui documenta vivendi pugnandique dedit. Dicit ille: Et Tarentini suum Hannibalem habent. Dico ego: & Germani ſuum Tillium habent. Finierat Alphonſus. at Symphorianus, quod reponeret, non habebat, in ruborem penè datus. tantùm illud, ne omnino mutus videretur, ſubjecit: Tu me antea, Alphonſe, in militibus laudandis occupatum, inſimulâſti nimiæ diligentiæ: cave, ne idem de Panegyri tua ſentiam: quaſi melioris facundiæ fontem, multâ operâ effoſſum, tantùm in Continentiæ laudes derivaveris. Ne ambigas velim, ait Alphonſus: modò intelligas, quid intenderim. ut nimirum, quibus iſtæ vires animiq; non ſunt, militare deſinant, aut certè pernicioſos affectus freno rationis coërceant. Sacri illi ſint & piaculares, qui neceſſitatis vaniſſima ſpecie vitij labem prævelant.

Quid verò dicam de militum inſolenti nimis aſſuetudine gravique malo, quo Deum Superóſque impunè ſe laceſſere, proniſſimè arbitrantur? an & hanc impietatem defendes? credámne ego, bonæ mentis micam in perjuris hominibus ſuperare, qui plures contumelias in Cælites jaculantur, quàm lanceas in hoſtes? ut quid timidi habentur apud vos Divûm religioſi

Impietas maximum militiæ malum M. Tillium ne afflavit quidem.

ligioſi cultores? ut quid generoſi, quorum omne votum maledictis tonat, vibrat fulgura, & fulminandas execrationes? quorſum tot diræ, & infauſtiora bubonum carminibus verba, quibus Cælum terrámque flagitioſiſſimè inceſtant? nempe Sacramentorum ſi non multiplicentur myriades, cum horrore audientium, mandata ſegniùs urgebuntur, & jacebunt inermia? atqui M. Tillius potuit bellorum labores, officiúmque Ducis religioſiſſimo erga Deum innectere obſequio. fieri hoc poſſe grandævus bellator docuit: pudebit diſcere neoptolemos, vix unius aut alterius luſtri milites, ſæpenumero tirones? Concludo: vana ſolùm temeritas eſt, & prodigioſa petulantia, ſecum ipſa ex lubidine certans, voluptatem in ſacrificio linguæ vitio quærere. Proſperi bellorum eventus è manu Dei fluunt: hic à petentibus injurioſè offenditur, Gigantum inſaniſſimo more in aſtra ſurrectis, eadémque rabioſo murmure pulſantibus. Si hoſtes, ſi ex Thracia, aut Odryſiis ſtabulis protruſi, ſi in Sole Lunáque aliiſque Planetis, inſcij Conditoris, profanas cogitationes ſiſterent, excuſari poſſet barbararũ mentium miſeranda caligo. Nunc ijdem, quibus Chriſtus ſuum nomen communicavit, glorientur protervis aſſultibus, quà verborum quà facinorum, ejus amicos, eundémque Judicem verberare. Exemplo ſint triſtiſſimo tot paſſim locis diruta templa, laceratæque Divorum imagines. quæ dedecora, quemadmodum

Ca-

Carolus V. ſummo cum dolore aſpexit, deploravítque; ita M. Tillius, ubicunque vulgi ignavia aut piaculo militum, Dei cultum imminutum vidit, ingenuo luctu commotus, ſummáque vi ultorem injuriarum ſtringens gladium, viſus eſt manantibus etiam lacrimis, animi ſui vulnus conteſtari.

Sobrietas rara Caſtrorum virtus à M Tillio conſtanter culta.

Quod ad ebrioſos choros, inſanámque perpotandi dulcedinem attinet, breviter hæc dico: non damnare me læta convivia & humanitate referta, ſi lubet, etiam ferculis diſtenta. Scimus bella ad unguem pacis non eſſe dimetienda. veri milites ſudore æſtúque defeſſi, procumbunt in herba, & abliguriunt, quod præ manibus habent. abundare & deficere nôrunt: in utrumque parati, aſſuefaciunt ſe copiæ & inopiæ: cibos è fortunæ culina petunt parabiles, humoríque, cui vita innatat, rèparando natos. ut frugi ventrem expleant, non neceſſe habent, in prædones degenerare, aliorum patrimonia domóſque & cellas excutere. Ex iſtorum militum genere aliquis, oblatis à fortuna lautitijs fruitur, ſed non effeminatur: grates agit danti; neganti non iraſcitur: optat, non expoſtulat. ſi habet, bene eſt: ſin, bonâ mente expletus eſt. aquam, Falernum, polentam, gallinámque, ſiccam & pinguem bovem, effætum vividúmque taurum pari lubentiâ, faucibus in utroque nec quicquam exaſperatis frangit. meliora nunquam reſpuit, ſed primùm, cùm

habet, deſiderat. Tales ego ad Martis prandium, quandoque etiam ad cœnam Jovis invitavero. non itidem eos, qui omnes ſuos hoſtes ſuper menſa debellant, turréſque & mœnia uvidis mero digitis depingunt in quadra. Vah horrida bella, quæ Thraſo gerit! ſtrenuam manum, quam Pollex ducit! apage ſagatas hasce cucurbitas, & abdomina bellonúmque impedimenta, inutiles truncos, temeto vinóque ſpumantes! modò obliment hiatus ſuos, unde unde, nihil admodum diſpiciunt. neque ego propterea tales nominabo fortes impavidóſque; ſi eò dementiæ progreſſi, ex inauratis mortuorum calvis bibant, ac ſanitatis novum ſcelus, propinent alteri ex aliorum funere. Cohorruit ad hoc facinus Symphorianus, & an audiverit, an legerit, interrogat. Factum tenet, reſpondit Alphonſus: ídque Hiſtorici fide digni prodiderunt. Tu æquo animo ſuſtine, quæ commemoravi fuſiùs. Profuerit fortaſſe, tres iſtos ſcopulos cognôſſe, ad quos omni ævo infames, plurimæ ſemper militum claſſes ſunt alliſæ. Ceteri animi motus ut edomandi ſint, à Bojaria ex M. Tillij mente audivimus. Illud certum eſt, magnam induſtriam, longum rerum uſum, felicémque prudentiam ad hoc requiri: ut ne affectum non omnino illaudatum, bello autem neceſſarium opprimas: neque tamen rebellem, contumacem, damnoſum gliſcere patiaris. Cedò enim, ſi iram, quæ cos militiæ eſt, penitùs

Tres militiæ ſcopuli, Impuritas. Impietas, Ebrietas, bonis militibus exemplo M. Tillij vitandi.

tùs exſtirpes: an non languebit acies etiam in campo? Conſtricti nervi non exerent ſe: tuba ſonante propterea non movebitur exſectus animus, & abſque ſtimulo ſuo: timendúmque tandem, ne in ipſa fluat arma ignavus tepor ſegniſque mollities, vigore conſumpto. Quòd ſi nimiùm indulſeris, neque moderereris iræ ſubſultanti, ubi acceſſerit caloris copia majórque impetus, ſtragem time: excuſſo rationis imperio, inflammatum te ſuper hoſtes effundes, ſæpe quidem non inultum, inter cadavera moriturum; nunquam tamen cum clementiæ aut conſilij laude victurum. Quocirca prudentiſſimi Duces iram ut theſaurum aſſervant, quem tempore pacis clauſum habent; indicto bello aperiunt, neque prodigunt ſtatim: ſed ne fraude quicquam cæcóve agendi modo intervertatur, provident: deinde computantes debitum, ratam meritámque portionem hoſti ferociter adnumerant. Qua in re atque animi potentis moderatione, quantùm M. Tillius eminuerit, opinor nemo eſt, qui neſciat. Hic orbem pro præcone habet, victáſque gentes pro teſtibus. Ubi finijt, Alphonſo Symphorianus etiam gratias egit, nedum ſuccenſuit, dictitans: intelligere nunc ſe liquidiùs, quantis bella indigeant animis, omnino glorioſis conferta periculis: utilitati quidem Reipublicæ plurimùm profutura; non minùs tamen privato homini, niſi cave-

Qualis ira militem deceat?

Dd 2 rit,

rit, nocitura. accuraturum ſe, ut in bello id, quod optimum eſt, eligat, & oratio ſuum momentum habuiſſe videatur: nunc verò ab auribus ad oculos redeundum eſſe.

Roma indicat, quomodo creverit, & à Tillio defenſa ſit.

Invitabatur identidem Roma ad querelarum & lugubris officij cultum: ſolebátque id cùm Alemannia, tum diſertiùs ipſa Bojaria non ſine exquiſitis cærimoniis facere. Roma, Tillium, inquit, non lugeo: ſpes animoſa me fulcit, illum in cælis jam triumphare. id tamen gratiâ illius fecero; ut quemadmodum ego in hanc majeſtatem à parvis initiis excreverim, quantùm quidem ex nutricibus meis diſcere potui, vobis patefaciam. Intelligetis deinde, meritò Tillium Veſtrum, pro Romani Imperij conſervanda dignitate ita decertâſſe.

Credite poſteritas: non ſemper maxima Roma,
Et Caput orbis erat: quondam dum parva jacebam
In cunis, & adhuc lactens, alimenta benigna
Cruda papilla lupa dedit: hinc reor illa deinde
Invaſit me dira fames, ut tota vorarem
Regna, nec antiqua congeſtis pultibus Alba
Suſtentare gulam poſſem, contenta Sabinis
Finibus, & Latij ſpicâ. creſcentibus annis
Tam pretioſa etiam rabies ſuccrevit edendi.
Non potui ſatiari epulis, niſi menſa ſecunda
Imperij Pomum nobis ad prandia ferret.
Nunc alij cœnant illud: vos diſcite plura.
Parvula, (penè pudet, noſtros evolvere mores)

Cùm

Digitized by Google

Cùm mea me nutrix duris geſtabat in ulnis;
(Acca vocabatur) nihil, aut non plurima ſcivi
De Mundo. in parvum quandoque ferebar agellum.
En tuus hic Roma eſt, Nutrix dicebat, agellus:
Hic tuus eſt. quid enim ploras? Virguncula quid fles?
Tunc mihi cantabat Phrygijs erroribus actum
Æneam, aut dulci præventam morte Creuſam:
Atque mihi ſimilem, niſi quòd puer eſſet, Iulum.
O quoties cecinit! ſi ſcires Roma, quid eſſes:
Gauderes. Martis generoſo ex ſanguine nata,
Stirpe Iovem contingis avum. Sic blanda tenellam
Solata eſt; noſtros ſic demulcebat amores.
Dein tacui: aut carpſi duo vel tria grana ſoporis.
Ire volens, quoties cecidi? Nutrice monente,
Objurgante etiam, quando me gramina vidit
Audaci calcare gradu. Iam repere quibam,
Non poteram fari tamen: & quæ verba loquebar,
Balba, fuere ſono medio truncata: nec ipſa
Sæpe, quid his peterem, Nutrix agnoverat Acca.
Sed mirum eſt. jam tum voce affectare videbar
Sceptro aliquid ſimile, aut quòd colluceret in oſtro.
O error! cùm quid nitidum, ſceptrúmque poposci,
Non intellecta monſtraverat Acca ligonem.
Luſtrum degebam. neque dum, quid bella, quid arma,
Quid catapulta foret, quid talia nomina, nôram.
Mitis & abſque dolo, ſine vi, ſine viribus, inſons,
Virgo viros fugi: potuique hoc parva puella.
Verùm omnes quoscunque patres, matrésque videbam,
Accas innocuo ſemper de more vocabam.
(Mirum eſt; hic nullam prorſus riſiſſe Dearum)
Ah! nondum ullius ſimplex ſpectacula Circi
Audebam, aut Magno Pompejo æquale theatrum.

Dd 3 *Non-*

Nondum ullus Cæſar, Marius vel Sylla forenſes
Vendebat lites: nondum ſua roſtra diſertus
Tullius in media reſonans erexerat urbe.
Nondum ullæ thermæ. Traiani ubi viſitur arcus,
Spica brevis ſteterat, ſpolium non nobile falcis.
Verrucæ fuerant ſeptem, quas cernitis Arces.
Arduus hic collis, qui nunc ingentia portat
Templa, nihil fingo, ſecura credite, gibbo
Pumilionis erat ſimilis. (riſere; ſed alto
Penſàrunt gemitu.) Tyberim non pyxide magna
Clauſiſſem, aut vitro: pretioſos cujus ab ore
Sorbebam bombos, manantes lacte caprino.

Paulatim crevi fraterno ſanguine paſta,
Pincerna tradente Remo. tellure levavi
Corpus, & erexi reptantia celſiùs oſſa;
Ac pedibus ſolidata ſteti: mox verba loquebar
Clara & amœna, croco, ſuavique fluentia melle.
Non dixi: tetuli veſcos; et, an haſpicis, Acca?
Indugredi quieo: ſed docto comptiùs ore
Dicebam: Nutrix viden Acca? incedere poſſum:
Quod comedam, mecum ipſa tuli, dein ludere parvâ
Incepi gaviſa, pilâ, (quæ excrevit in orbem)
Vt pueri pueræque ſolent. haurire cruorem
Belli guttatim tantùm, modicisque labellis:
Si deprenſa forem, totum cratera bibiſſe
Sanguinis, erubui. porrò quæ noſtra cupido eſt,
Inſtitui varias nugas: ab origine foſſas
Ducere, vel potiùs ſpeciem ſimulacráque prima
Foſſarum: portas, Capitolia, mœnia, vallum.
Omnia parva tamen: neque enim, quæ duxerat, ipſa
Magna fuit. ſenſim florenti corpore major,
Contempſi bullas, & neſcio quas minimas res:

Digitized by Google

Paſtorúmque nuces (ſcis Fauſtula fida) reliqui.
Inde togam ſumpſi, prætextatámque juventam
Abjeci, cœpíque loco mihi Conſulis eſſe,
Regibus ejectis. Tunc mortua jam fuit Acca:
Sola relinquebar. mea tela, haud tela vocavi,
Sed pila. at nondum tam ſæva ac horrida pila,
Qualia conſtratis vidit Pharſalia campis.
Tandem etiam iraſci, galeis galeata minari,
Obliquare oculos didici. faſtigia, turres
Primas exſtruxi. ſeptem mox collibus ingens,
Tanquam ernali muro redimita Cybelle
Viſa, repercuſſi campos, orbémque replevi
Majeſtate mea. Samnites, Celtæ, Faliſci,
Veij, Lucani, Senones, Trebia, Allia, Cannæ,
Punica bella, meis licèt obluctata triumphis,
Debebant ſervire, jugóque cadaver & iras
Subdere: tunc Martis ſenſi genitoris avíque
Auxilium, qui me ditione Aquilíſque ſecundis,
Terrarum Dominam, & multis donavit opimis.
Felix, qui tali decoratam munere Divûm
Defenſor nullo patitur ſuccumbere bello!
Non tu pro minima certâſti, maxime TILLY,
Communique Dea; cujus licèt alma poteſtas,
Imperiúmque verendum & formidabile pondus,
Sic moderante Deo, Germana in pectora totum
Sederit, Auſtriacas mentes, & Numina quadam
Terrarum: non idcirco mea nomina muto.
Romanum Imperium ſervâſti maxime TILLY,
Me quoque.

Aſſu-

Digitized by Google

Imperii Romani maieſtas apud Auſtriam conſidet.

Aſſurexerant canenti omnes Deæ. Auſtria etiam explicata facie, & è remiſſo luctu hilareſcente, vehementer, ut apparebat, ſibi complacuit, cogitanti, ſe tam nobile Depoſitum tot à ſæculis jam nulli impunè violatum conſervâſſe: tanti imperij pondus in Auſtriacos humeros conſediſſe: quod etiamnum Archiduces ſui, ſumma cum moderatione, pietate, clementia, dignitate, juſtitia ſuaviter juxta ac fortiter adminiſtrent. Devolvi hunc favorem ex Numinis bonitate ac ſapientia, quo Rudolphum Habspurgicum Conditorem Cæſarei Stemmatis impertiverit. nihil alienum à munificentia DEI eſſe, ſi virtuti quædam præmia etiam in iſto orbe perſolvat. in quo quid præſtabilius digniúsque Auſtriacis dare potuiſſet, quàm orbem univerſum?

Auſtriæ encomium

Alphonſus ſe cohibere nequijt, quin Auſtriam in hunc modum tacitè alloqueretur: Salve, ô Sereniſſima Moderatrix terrarum, Imperij Præſes, Aquilarum Cuſtos, Hæreticorum terror, Amazon potentiſſima, Bojariæ Soror! Tibi gratiarum illuſtrium copioſa ſuavitas favórque Altiſſimi, quia mitis es, terras poſſidendas dedit. Tibi ſolis avem, alendam puriſſimo tuorum Cæſarum radio, commendavit. Tibi Roma non invita, quos ab V. C. diverſorum Conſulum laboribus peperit triumphos, cum nomine virtutéque conceſſit. Tu nobis Rudolphos felices, Frideri-

dericos fortes, Maximilianos bellicoſos, ſapientes Carolos, Leopoldos, Ferdinandos pios protuliſti. Tu à tot hoſtibus laceſſita, ſemper tamen plures amicos inveniſti. Quoties Viennam Othomannidum ferox infeſtavit exercitus: ſed armorum cæliſque defendentis non ſuſtinens ferreum nimbum, retro cum pudore ceſſit? jam centum millia, jam trecenta Suleimanni rabies effuderat; & videbaris obſeſſa, antequam obſidenda. invenit tamen virtus animoſa viam, & præclarâ fiduciâ ſolicitante Numen, ſuppetias æther tulit, iterúmque ad inmanſueti Boſphori ſaxa, Turcarum Thracúmque colluvies recedere compulſa eſt. Tunc primùm minuetur potentia tua, cùm ſenio mundi fatiſcentis nutabit omnis poteſtas, montibúſque in valles confuſis Regnum incipiet, cujus finis non erit. Hæc ille. cui ego: Aedepol! Alphonſe, gratiam bene multam inibis, ubi cognoverit hæc Dea oraculis tuis incluſas laudes. aliàs illam natura liberalis inclinat ad bona diffundenda, quæ habet. utut ſit: Auſtriæ multa debentur, multa Bojariæ, omnia Deo: cujus ſingularem providentiam quis non admiretur, ſecum volutans; quo ordine, qua lege, quibus decretis ſtatuerit hunc mundum gubernare? Ut ipſa Roma confeſſa eſt, quàm parva, quàm tenera, imbelliſque in tam potentem Heroinam excrevit? quod in allegoria poëtica audivimus, ita tradunt hiſtoriæ.

Ee Ro-

Romulus cupiditate dominandi elatus, è paſtorali caſa altiſſimas cogitationes hauſit. Molitus foſſas, aratrum circùm urbem deſignandam duxit: congregavit volones, profugos, miſeróſque; horum opera fundamenta jecit, portas ſtatuit: incolis quibusque addixit ſpatium. deinde leges tulit, Remo fratri, tranſilienti foſſam, pernicioſas. Ubi multitudo exaucta eſt, ordinavit Rempublicam: ſucceſſu temporis Populus jam numeroſior majórque urbe graſſari cœpit, ut ſe diſtenderet. hinc ſecuta bella, paupertas, divitiæ, morbi, mortes. Interim quæ intendebatur ditio, propagata eſt. Ubi finitimæ terræ acceſſerunt, cupiditas in diſſita Regna venit. Spolia totius orbis Romam migrârunt. expulſis Regibus conſtituti Conſules, qui ſenatores antecelluere, timuerunt Senatum. hi immane quantum ſudârunt, ut terminos Imperij proferrent. Certum illud, florem Aſiæ, Africæ, Europæ à Roma pependiſſe. Auguſto Euphrates, Nilus, Danubius, Rhenus ſervitium præſtitere. Claudius etiam Britannias aperuit. Trajanus Armeniam, Arabiam, Daciam adjecit. quanta hæc potentia! Sed deinde urbs iſta occiſa eſt penè nimiјs bonis. luxuria atque ambitione magnæ res everſæ: communia jura, poſt Pharſalicam pugnam fugato Pompejo, in Julium Cæſarem translata, ab hoc in Succeſſores fluxere. Clariſſimè tamen elucet, indefeſſâ operâ ingentique conatu ac valido nervo virtutis opus fuiſſe, ad talium

Re-

Regnorum exordia progreſsúſque ſtabiliendos: non otio pacis, vino, marcore, luxúque diffluentibus hæc Imperia creviſſe. Adhuc loquebar: cùm Juvenis unus, ut ſtatim augurari licebat, Martis armiger ſe ſe intulit, procerus & ruber, ſudore, pulvere, vulneribus luculentiſſimis inſignitus probè. Ferebat ingentem umbonem, & in illo BELLA TILLIANA uncialibus figuris ſculpta. is gaudio turbulento plenus, trucem hujuſcemodi cantum effudit. **Chorus.**



CHORUS IV.

Extra M. TILLIUM paucos nôſſe genium veræ Virtutis ac Gloriæ: pauciores illum aſſequi: Epidicticí Carminis reducta varietate, modulando comprobat.

Quàm cæca gens mortalium eſt! veros nequit
Adipisci honores, & opulenta præmia.
Non in liquidi vulnere palmitis
Natat excelſi Gloria genij.
Non incubat roſetis;
Non prandet in viretis.
Non nitet vultu, neque delicatos
Ventilat crines, madidos amomo.
Non vano Diademate
Preſſat verticis aream.
Non inter molles cantat amica choros:
Non, inquam, visa eſt eſſe puella levis.
Nec opacâ latet umbrâ platanorum,
Nec anheli Phaëtontis fugit aſtrum.
Non in Sidonio recumbit oſtro,
Nec dormit Tyrio jacens grabato:
Non levibus ludit citharis, auróque bicorni:
Nec digitis infringit ebur chordáſque ſonantes.
Nulla fila, nulla penſa,
Laneósve ducit orbes.
Non fœminarum gaudio
Obliviosa diffluit.

Sed

Sed cum virili robore
Perfert dolorem vulneris.
Sed cruenta ſtringit arma,
Ferreóſque geſtat orbes:
Sed pilis ludit, tormentorúmque curuli
Fulmine, & ex alio fundit ſua cantica cornu.
Sed duro jacet explicata ſaxo,
Cùm vult Herculeum videre ſomnum.
Sed in aſtu vel in agris, glaciata
Aquilonis ſuper Vrsa rotat haſtas.
Sed volat excuſſis ſanguinolenta comis:
Miles intmiles, torva puella canit.
Sed celsâ galea jubâ
Nigram Cæſariem premit.
Sed rubet vultu, patulámque frontem
Multo ſanguine pingit, & furore.
Sed prandet alliúmque,
Cepáſque, olúſque crudum.
Sed in egelido flumine Strymonis
Natat excelſi gloria Genij.
Hunc morem ab ipſo TILLIO, vel Gloria
Didiciſſe debet, aut ab ipſa TILLIVS.

Canebat hæc armiger iſte hilari cum ferocia; feſtóque ſono, ex imis ducto pectoribus, inundabat aures; ut tanquam à claſſico animaremur. Præſertim Symphoriano pulcher hic furor placuit, exclamanti: quantùm, ô quantùm à Paridis Lyrâ diſcrepat Pelides cithara! malim audire has voces, quàm quibus olores immoriuntur, vel ambulantes ſilvæ auritas arbores Orpheo demittunt. Armiger ad extimum tumbæ ſolummodò marmor admiſſus, illud, quo debuit, oſcu- *Armiger Martis literas à Marte con-*

ſcriptas Auſtriæ atque Boiariæ tradit.

oſculo genúque veneratus, Umbonem eidem acclinavit: exin honoris officio perfunctus litteras dedit; unas Auſtriæ, alteras Bojariæ. illæ in rubro erant albis ſcriptæ; hæ in pelle leonina, Criſtâ ex Martis caſſide raptâ exaratæ. Auſtria prior ferrea vincula & adamantem, quo obſignabantur, curioſè diſſolvit. poſt epigraphe lectâ ſubriſit, oſtenditque Bojariæ: quæ ridenti tantùm ſimilis, cœpit etiam ſuum vellus evolvere, ita unguibus caudáque inter ſe conſertis implicatum, ut unus unguis ex nodo ſecluſus integrum involucrum explicaret. Ut legit immerſas notas, ſenſúmque cognovit; admirata Martis ingenium, vultu explicato commendare viſa eſt, ſtatuitque apud ſe exequi, quæ ſcripſerat. quid verò eſſet, nos neque tum noſcere, neque etiam conjecturâ aſſequi potuimus. id notatum eſt, Bojariam ſecum colluctari debuiſſe, ut in eo affectu permaneret, quem Mars fortaſſe imperaverat. Videbatur aliqua re nova delectari, quæ tamen mœrorem non excluderet. Sed etſi triſtabatur: inter illam triſtitiam, quam primùm in ſe vocabat indulgens, & eam, quam ex funere Chariſſimi Tillij percipiebat, multùm diſconvenerat. prior enim, acriter intuenti non tam ſincera, copioſa, naturalis, quàm poſterior, plenum animum occupans, apparuit. At Auſtria veriſſimis tenerrimiſque gemitibus reſolvit animi ſui ſenſa, dum acerbiſſimas perlegeret litteras: variéque mutato vultu, quòd vulnus infli-

ctum

ctum ſentiret, abſque loquela loquebatur: ſubinde in has voces: Igitur hæc Mars mihi? & jam? non credideram. cur igitur priùs conceſſit? ô Geta! Rogavit etiam Bojariam, ut ſui Leonis rugitum explicaret. hæc: nihil admodum, niſi ut te conſoler.' multò verò maximè id præſtabo, finitis exequijs: ubi, ſi libeat, diſertiùs hac de re ſermonem miſcebimus. nunc tanti Funeris luctus alio queſtu non videtur temerandus. Auſtria eò altiùs ingemuit: &, ô funeſtas mihi litteras, ait, funeſtum Armigerum, qui tulit! At non hæc mihi Mars ſemper fefelliſti igitur me. Non amas Auſtriam: Non amas Sororem meam Bojariam. Verè è Caucaſo exciſus es, Scytha, Thrax, Sauromata. Dicebat hæc inflammato vultu, luctúque terribili inter lacrimas ardenti. Symphorianus, Deum bonum! ait, quæ mala invaſerunt Auſtriam? quæ mortes ſunt igitur nuntiatæ? Illa, audi Soror, inquit, quàm fidelis iſte noſter, ſi Dijs & Deabus placet, ſit elegans Mavors: (& legit litteras Bojariæ, ſcitiſſimè tum nutu, tum geſtu Auſtriæ Martíſque litteris adremiganti) Scriptæ erant in hunc modum.

MARS BELLORUM PATER ET DOMINUS HEREDITARIUS, AUSTRIÆ SUÆ SALUTEM ET CLYPEUM.

Epiſtola Martis ad Auſtriam, in qua gladium Tillii donatum repetit, in bellis contra Suecum uſurus.

Moturus in Suecum, tuos & Bojariæ hoſtes, dum armamentarium meum perluſtro, vidi aliquos enſes deeſſe,

deeſſe, quos ante quinquaginta annos in flumine Hebro, vivóque Strymone tinxeram. Iratus Cyclopibus ignavis, quòd hâc de re priùs non admonuiſſent; vel me non quæſito, alijs & fors non ſine ingenti pretio accommodâſſent; omnes omnino ex officina tractos, in malam rem ire juſſeram. ij reſpondêre, ſe verò nullum gladium ulli Duci unquam niſi meo imperio dediſſe: eos, de quibus abſentibus quererer, eodem imperio datos eſſe. Unum Tampierio, alterum Bucquoyo, tres M. Tillio, duos Illuſtriſſimo Duci Fridlandiæ. Cœpi diem locúmque & ordinem requirere, compertæque fidelitati atteſtantium aſſenſum dedi. Quare, ô dilecta Auſtria, cùm tui causâ occuper in Sueco profligando, plurimùm verò gladio Tilliano, quem tibi donaveram, confidere liceat: quæſo te obteſtórque, ſi poſſum, etiam impero, ut illum ipſum gladium in meum armamentarium remittas, à me nunc hisce in bellis ſtringendum. Scripſi etiam Sorori Bavariæ tuæ: útque te propterea ſolaretur, admonui. habe fidem & obſequere, certa, Suecos nullo certiùs quàm M. Tillij Gladio vindice profligari poſſe. Et verò decet, ut quem viventi dederam, pluribus victorijs ſacrum poſt fata recipiam. Ita tibi augures Aquilæ ſemper applaudant, & diu tuus Ferdinandus vivat! Vale, méque in obſequia paratum admitte.

Datum anno Imperantis Ferdinandi II. decimo tertio, die mihi ſacro.

Hæc

Hæc promiſſa tua? ô Mars! ô Marspiter! repetivit incenſo clamore Auſtria: apparet, quòd omne jus tuum in armis ſit: nihil præter arma noveris, inelegans, rudis, an & improbus dicam? nullas certè Leges Placitáque Cæſarum meorum didiciſti. Neſcis, PROMISSUM CADERE IN DEBITUM? atqui donatio validior eſt, ET STATIM TRANSFERT DOMINATUM; multò maximè, ſi res in manum veniat. facta eſt Cæſari. ULTRA QUINGENTOS SOLIDOS VALET. SED NEQUE INOFFICIOSA FUIT, ut filia tua Roma conqueri poſſit; quando in ipſius etiam utilitatem hæc donatio cedit: NEC EGO INGRATA, ut opinor, tibi revocandi cauſſam dedi. Quid faciam? Soror! ſi Gladium reddo, carebo munere: niſi reddidero, contumax caput non pugnabit. Reddam equidem, (& lacrimabatur indignans) reddam. Bojaria argutè nutrivit luctum, & quaſi ſolatium aſperſura, revera tamen uberiores ciens gemitus: quid lamentabimur, ait, ſpoliatæ hoc gladio? tamen & nos jam ultrò conceſſimus. facilè ferro caremus, modò non uti deberem; aut illa manus adjuvaret, quæ hoc ferrũ duxit. ſufficiat nobis, etiam Marti in amoribus & delicijs hunc Gladium eſſe, quem tanta ambitione repoſcat. ſed peracto honore funerali, quid in rem tuam ſit, providebo. Deinde Bojaria pia de TILLIO encomia meditans, congeſſit, quibus Auſtriam magis adhuc accenderet, memoraturam apud ſe, cujus Herois Gladium reſtituere, indigno modo fuerit coacta. Qua-

Boiaria Auſtriam indignè ferentem, quòd Mars Gladium repetat, ſolatur.

Digitized by Google

re Cælum Cæliſque Conditorem & Funus alternis reſpiciens, ac conſuetudine quadam lugendi jam facilis in planctum, M. Tillij laudes hoc elogio proſecuta eſt.

M. TILLIUM, ut nullis inhiâſſe prædis conſtat; ita pleramque partem ſpoliorum, Divæ Virgini Mariæ conſecrâſſe oſtenditur.

Quis vel ab invidia cæcus, vel amarus ab ira,
Vel tumido faſtu linguáque procacior audet
Dicere, quòd magnus pro Nummo ditia bella
Geſſerit, ínque ſuum lucrum converterit hoſtes?
Teſtis, magne Deus! túque ô Bellator Orion!
Qui de ſideribus Martem comitaris euntem
Nubilus, & longâ romphaâ perſuris axem;
Tu quoque teſtis eris: (namque iſti credimus aſtra
Cuncta favere Duci) quòd non deſpecta ſecutus
Iurgia prædarum, currus onerâris opimis,
(Et poterat) non ille rubrum nitidúmque metallum,
Ex belli plauſtris Pacis congeſſit in arcam,
Explorator opum. Poſtquam molimina rerum
Ingentèſque pio tractavit pectore curas,
Fortibus incubuit factis, ſolíque labori
Obvius, Imperium valido moderamine cinxit:
Nil breve, nil parvum meditari viſus, & omnes
Collectos in corde Duces conatibus æquans
Expreſſit ſimul, & ſimul in certamina miſit.
Illi convaſent, illi commercia curent,
vilis animus qui ſordidus auro eſt. *Gloria quos nugis ſpecioſis diſtinet, & qui*
Plus enſis quàm cordis habent. Sed vile putavit
Tillius hoc, quidquid non cum virtute peractum,

Et

Et cum laude foret. quid enim poſſeſſa tot annis
Sarcina, dicebat, noſtróque indigna labore
Profuerit? quando juvenem quærenda fatigat,
Dedecorat quæſita ſenem. Ducis impedit auſa,
Militis enervat: gravat hunc, ſæpe opprimit illum:
Socordes utroſque facit; trepidóque pavore
Implet, & urgentes ſtimulos ad bella retundit.
Pulvis, amor Patriæ, ſudor, Victoria, virtus, Divitiæ veri militia.
Vulnera, divitijs ſunt annumeranda. caducis
Tetrica mens inhiet: nos immortalia dona
Speramus: promiſſa placent; quibus annuit æther.
Cætera vel non magna nimis, vel tempore fluxa,
Vel non certa ſatis, juvat, & contemnere fas eſt.
Si mea bella velim, curáſque & robur & iras
Vendere; novi equidem pretium, non una cicatrix
(Quanquam non unâ fruimur) vel Gange rubenti,
Totius vel fonte Tagi mutabitur. Aurum
Splendet: at hoc cælum longè magis. aſpice, quali
Caſtra Planetarum Mavors fulgore coronet.
Utile cenſetur; fateor; tamen utile nunquam,
Cùm ratio dictet, præponi debet honeſto.
Quàm timidi viléſque animi, qui ſemper in Hermo
Flaventíque natant Rheno, quà ſpumeus exit,
Sciſſa vado ramenta vehens: quibus iſta videntur
Maxima, quæ tellus imis abſtruſa cavernis
Abdidit, & dirum foſſori præbuit omen.
At non & nobis eadem indulgente Deo mens:
Nec vocat obſcuræ gazam conquirere glebæ:
Quæ quid opus? quæ ſponſa mea eſt, non indiget iſto
Fœderis illicio: nam dotem habet ipſa ſuperbam.
Illa mea, illa mea eſt: quæ non opulentior ulla; Quam Sponſam amaverit defenderítque Tillius.
Oetingæ colitur, ſacra ſublimis in æde.
Et ſpes eſt, nos forſan ab hac (quæ gratia blandæ
Virginis, & morum clementia dulcis) amari.

 Huic

Digitized by Google

Huic mea bella licet, curáſque & robur & iras
Conſecro, & hoc voveo quacunque in fata lacertos.
Si jubeat nigros aliquando irrumpere ad Indos;
Memnoniam penetrabo domum: ſi quærere Nilum;
Ille licet profugus, patriaque incertus oberret;
Veſtigabo tamen, fontémque oſtendere cogam,
Et nunquam viſum caput. Imperterritus ibo
Solis ad occidui thalamos: ubi Nereus imo
Solvit anhelantes gelidi ſub gurgite ponti
Cornipedes, atque emergens ſpeculatur Eoos.

Divæ Virginis tutela vicit Tillius.

Iſta meas acies CASTRORUM MATER *obumbrat,*
Exarmátque ſuos hoſtes. hac temperat iram,
Et validas facit eſſe minas. hac dirigit enſes
Conſilio ſtabili, capulúmque in vulnera ducit.
Sive ſub armiſonis regalia lilia Galliæ
Defendi; ſive in Turcas Dacóſque rebelles
Movimus, adjuvit præſens: ſi vera fatemur,
Hujus ab auxilio Pragenſis gloria fluxit:
Túque tui fati lacrimas rabiémque doloris
Tergere cœpiſti tandem, Regina malorum
Aſpera, cognatis fœdata Alemannia buſtis.
Hac tua ſubvertit Badenſis plauſtra tyranne,
Ferratáſque rotas, & formidabile mortis
Inventum. hujus opem ſupplex Moguntia ſenſit;
Quando cæſorum volvente cadavera Mœno,
Sacrilegi prædonis equos furtáſque timere
Deſiit. Hac Cimbri cornu faſtúmque repreſſit.
Contudit, ejecit, faucéſque eliſit hiantes.

Pathetica Oratio M. Tillii ad divam Virginem Oetinganam verſu expreſſa.

Salve Virgo potens, Oetinga nobilis Hoſpes!
Quæ ſuper antiqui ſerpentis lubrica colla
Inſiſtis, triplicisque malum jaculabile linguæ
Sanguineáſque jubas, & ahena pondera ſquamæ
Sancta calce premis, furit ille, atrúmque venenum
Sibilat: & varios fruſtra torquetur in orbes.

Pulchra

Pulchra quidem, Lunámque ſuper ſolémque venuſta
Præradias: neque enim noſter te afflavit Adamus,
Aut pomi fatalis odor: ſed gratia totam
Servavit nitidam, macula ſine criminis ulla.
Verùm ubi conceptum fudiſti Numen in auras,
Tunc Dea tunc Virgo, tunc te formoſior ipſa.
Tunc ſimul & Mater, tunc te quoque gratior ipſa,
Tunc aliquid, quod ſi coner, non dicere poſſim,
Tota decora, Sion O Filia, tota decora es.
Regia progenies magni Davidis, in uno
Crine tui colli vulnus fixura pudicum,
Mater obumbranti Virgo ſubmitteris Auſtro:
Hic te fœcundam divino flamine fecit
Abſque toro. Magna Matris tibi noſcere nomen
Dulce datum; ſed non ideo ſervare negatum
Virginis: in cumulum pretioſa encomia ſurgunt:
Et tanti fuerat forſan, ſine Virgine Matrem
Eſſe DEI; ſed utroque capis cum Nomine fructum
Collecti decoris. venter quem lilia vallant,
Et qui portavit Numen, verè ille beatus,
Nullos Lucinæ meruit tolerare labores.
Tota decora, Sion O Filia, tota decora es!
Hortus concluſus: ſed in hoc includitur unà
Ver Arabum, Cilicúmque æſtas, ruriſque beati
Autumnus, ſanctíque parens vindemia muſti.
Regis in accubitu ſuavem tua Nardus odorem
Aſſyrio præ thure dedit. Tu virgula fumi,
Palma Cades, Cedrus Libani, cypariſſus Ephrata,
Virga virens Ieſſæa, & vita optabile Lignum:
Gratius umbroſa platano, conſpectius alno,
Fertilius tiliâ, longa procerius orno,
Tota decora, Sion O Filia, tota decora es!
Nigra quidem, formoſa tamen: quia ſcilicet uſſit
Déque-coloravit te Sol Altiſſimus: inde

Tam

Digitized by Google

Tam fuſcus color eſt, & rara gratia formæ.
Cernite prodigium ſacris memorabile faſtis:
Vritur igne rubus, ſed non exuritur igne.
Caſtas flamma nives ardendo innoxia lambit:
Vellus ab Eoo nequicquam rore rigatur,
Cætera dum fletu materno gramina manant!
Tota decora, Sion O Filia, tota decora es.
Quàm fulges! (certè fulges) quàm magna videris!
(Magna videris enim) multa in Galatitide terra
Sinceri vultus, multæ riſere puellæ:
Nulli te vultus, nulla vicere puellæ.
Pulchrior Heſterâ, felicior eſſe Rebeccâ
Crederis, ac Sarâ melior, fœcundior Annâ:
Judithâque, licèt forti magnâque Merari,
Fortior & major: fuerit licet illa venuſta,
Tu tamen excellis: tantùm ſemel illa tyrannum
Vicit, & infeſtum caput à cervice revulſit.
Tu ſtrato toties inferno Holoferne triumphas.
Terribilis Caſtrorum acies: hoc nomine Virgo
Sæpe vocanda mihi, ſæpe auxiliata: coruſca
Nunc, ô nunc gladios. & viribus inſtrue dextram
Te donaturam ſpolijs: non obruat hoſtis,
Non perimat: dignos potiùs ſervetur in uſus,
Vulneribúsque vacet. Certè tu digna labore
Defendi noſtro; mea quæ præcordia cælo
Imples, & vivis recreas afflatibus Orbem.
Terribilis caſtrorum acies: me plurima voti,
Oro, reum damna, dudúmque aſſueta vocari,
Annue: ſis Clypeus noſter, ſis caſſis, & umbo,
Ac lorica mihi: neque enim his confidimus armis,
Quæ timidâ ſunt facta manu, ſolóque pavore
Ingenium fabricavit, iners ad bella, tubáſque,
Et veras mortes, & dulcis vulnera famæ.
Te propter mea bella calent; te propter anhelat

Nec

Spiritus in corde hoc: placuiſti ſola, placebis
Sola, places ſola, & non eſt Sponſa altera, non eſt.
Caſtra ſub auroram cùm bellatura movebo:
Conſurgens Aurora veni. non illa, cubili
Qua mæſta egreditur, cognatáque funera deflet,
Ac matutinis lavat udas roribus herbas.
Tu generosa veni Genitrix, & pravia ſolis:
Cuius in auguſto reſpirant ſidera vultu,
Feſſaque mulcentur; rurſúmque in gaudia fundunt
Laxatum crinale jubar. Tibi ſplendidum æther
Ceſſerit indutos Salomonis pellibus ignes.
Cùm ſitio, & rabies pugna ſedata quievit:
Tu Fons ſignatus; tu vita lucida vena;
Tu Puteus viventis aqua; qua proluo ſiccum
Guttur, & amiſſas illo bibo flumine vires.
Carmeli florentis apex: quem nulla pruina
Tempeſtásque tegit; non grandine verberat imber:
Ipſe Aquilo tumidis buccis pulſare veretur.
Si licet, O Virgo! maneant immota, precamur
Fœdera, qua ſanxi. tuus en hic miles ad aram
Procumbo, ſertúmque fero; quod nobile gemmis
Partheno-fuſca-polis, ſtanti ad ſua mœnia miſit.
Te decet: oblato dignare adſtringere crinem:
Sitque ſacra flamma pignus. non neſcio, quali
Floreſcas mitra, & longè melioribus aſtris
Antè mices. vibrat jubar exultante pyropo,
Sidereis diadema roſis. quandoque capillis
Das fluere, & nodum demis: tunc nigra refundi
Caſaries humeris, & ſcintillare videtur:
Accurrunt Zephyri, ſtella ſua lumina miſcent
Ambitione vaga. Facies animoſa, diéque
Largo plena nitet: blanda reverentia lucis
Emicat, & ſancti formoſum fulgur honoris.
Vt tota in calo, ſic totum in pectore calum,

Tam

Nec tantùm in manibus, ſed in ipſo Filius ore eſt.
Tota decora, Sion O Filia, tota decora es!
Non hoc diffiteor: ſed enim, quæ Ancilla vocari
Non dedignata es: ſertum, quod TILLIVS offert
Ille tuus ſervus, (ſi vis, & Sponſus,) amicâ
Suſcipe Diva manu, capitique impone coruſco.
Si verum eſt, hac in (nam verum audivimus) Æde
Semper opem ſenſiſſe tuam, quicunque rogavit:
Si nunquam ſine ſupplicibus, miſeriſque benigna
Hanc habitas aulam: neque diſcordante repulsâ
Deſtruis orantem, & voti non pænitet ullum;
Si reus ob noxas, commiſſáque crimina vitæ
Triſtior, hîc Matrem, libertatémque ſalutis
Invenit, & dulci manſueſcunt pectora luctu:
Eſto memor TILLI DVCIS, ac præſagia firma.
Et quem defendis vivum, poſt fata cadaver
Non exclude domo: da, cùm nigra venerit hora
Funereis invecta rotis; ut bella gerenti
Occidat in Bavarâ tellure ſuprema mihi lux.
Nec tempus, nec fata queror. ſat viximus annis,
Sat Marti, campóque datum.
(Ingemuere omnes: & Boica Diva profusè
Flevit, & ad ſacram contorſit lumina tumbam.)

Votum Tillianum ut, cùm moriendum erit, moriatur ſepeliatúrque prope D. V. ædem.

Auſtria dolori interim vacabat: cui non mediocrem adjecit fervorem memorata in Virginem Virginum pietas inclyti Senis: ſolebátque dicere, eò ſe flagrantiùs deſiderare illius Herois enſem, qui raro in bellis miraculo, pietatis decus militari gloriæ commiſcuerit. Dixeram hîc liberè Alphonſo: equidem non diſplicuit mihi inflammata ingenuis precibus facundia, verbiſque ſublimibus religioſum animum Ducis erga

Cælitum Reginam bene valde affectum commendans.

An non enim orationis auditæ ſuaviſſimus ſenſus eſt, animo etiam tuo? Ad quæ Alphonſus: nihil abnuo, delicatas haſce preces eſſe, amore gaudióque & ſidereis floribus plenas. ac ipſe Poëta quidem includendo eas numeris, multus certè fuit & admodum tener, in exornanda laude fæcundæ Virginis: ut dubio procul magnificæ de ea exiſtimationis nobile pretium laturus ſibi videretur; quando pietatis inſperſæ animíque obſtricti ſenſa prònuncians, ea poſtmodum certis atque aureis vinciendo compedibus, eleganter compſiſſet. Sed amabo te: armatum Ducem in tam molles affectus erupiſſe, mihi perſuadeam? Tillium decebat rigidior oratio, qualem principio audivimus, bella, tubas, internecionem hoſtium, gloriam Dei reſonantem. interſtrepentibus lituis olorina carmina non conveniunt. Opinor ego, ſuſpiria illum, ſed grandioris animi duxiſſe, ſolicitudine, curâ, timore, prudentiâ, religione plena: qualia memorant ſe quotidie arbitratos, qui fores obſervârunt, dum horis antelucanis, nocturníſque item cum Deo Diviſq; agebat, ac ſi præſens alloqueretur præſentes, calidè & altè locutus. Poſt ejus obitum in ſchediaſmate, ab ipſo propria manu exarato, reperti ſunt alterius, hoc eſt, nobilioris & regiæ venæ verſus, quos quotidie in neceſſitatibus uſurpabat. inter eos etiam iſti:

Digitized by Google

TILLIJ jacula precatoria, quibus Cælum petebat.

DEUS Virtutum converte nos: & oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.

Eripe me de operantibus iniquitatem: & de viris ſanguinum ſalva me.

Reſpice in me, & miſerere mei: da imperium puero tuo, & ſalvum fac filium Ancillæ tuæ.

Reſpice inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt: & odio iniquo oderunt me.

Suſcipe ſervum tuum in bonum: non calumnientur mihi ſuperbi.

Redime me à calumnijs hominum: ut cuſtodiam mandata tua.

Legem pone mihi Domine in via tua: & dirige me in viam rectam propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.

Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij: ut ſalvum me facias.

Eripe me de manu inimicorum meorum: & à perſequentibus me.

Exurge Domine, præveni eos, & ſupplanta eos: eripe animam meam ab impio, ſi ameam tuam ab inimicis manus tuæ.

Educes

Educes me de laqueo hoc, quem abſconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo Spiritum meum: redemiſti me, Domine Deus veritatis.

Nimirum, in hunc modum animi reverentis, aut invocantis ſenſa declaravit M. Tillius, magno, non molli affectu; neceſſarijs, non adeò delibutis mellitiſque precibus aſſuetus: ut me quidem arbitratore pronius credere ſit, ſuave vinctúmque eloquium à Poëta pro ſuo, non pro Tillij obtruſum nobis eſſe. Ita Alphonſus, ampliùs pergens, niſi vellicâſſem admonendo, ut ne tam ingratus in Editorem hujus ſpectaculi haberi vellet. quid enim? inquiebam: an quæ huc uſque ſive in aures, ſive in oculos ingeſſit divina quædam vis, ſolicitâ mentis curâ, pro dubijs diſcutere nos poſſe exiſtimas? Oraculi potiùs vicem ſint audita; ſpectata, miraculi: noſtrum non eſt, proferre ſententiam de ſententijs Dearum; ſed in animum demiſſas reverenter habere. Quid ſi oſtendero utriuſque opinionem, nitidiore tamen ſenſu hauſtam, ſuum momentum habere? Ego enim ſic cenſeo: M. Tillium in periculis, in diſcrimine præſentium prœliorum, ad Deum fudiſſe preces, quas tute protuliſti: partâ victoriâ, ſecundùm quietem lætitijs ſecuram, ad Divam Virginem unicè ſibi dilectam, longè alteras. quippe hanc non timere habuit; ſed amabilem totam, non

niſi amare medullitus. Venerabatur igitur, ut Dei Matrem: implorabat, ut Patronam: coluit, ut Reginam: ut Sponſam, amavit. ſolitus feſtos ipſi dies omnes reddere ſolenniores, præmiſſo jejunio, ſacris accumbendo epulis. Neque verò horror armorum, infeſtíque conflictus, incenſi piè animi vires extinguere valent. Nôſti Hymnum Caſimiri, Poloniæ Regis, ac Reginæ Cæli amantiſſimi Principis: Hunc ſi non omni die, ſæpius tamen M. Tillius dixit: at quos illa ſuavis oda non nutrit ignes? quàm ſonorè influit, facilíque metro blanda nectit obſequia? quo, ut ita dicam, fluctu diſertiſſimorum affectuum aures animúmque inebriat?

Vellem, ut votum ſaltem Legionis Tillianæ legiſſes. mirareris profectò illius novam dignitatem, fiduciámque Numine Mariano plenam. Iſtud non rogatus communicabo, ut intelligas juxtà mecum, ſigna Tilliana quid diſtent Veterum Romanorum ſignis, etiam Unctis: quæ plerumque non niſi immanis faſtus aureis litteris inſcripſerat.

attende ſis.

Votum

VOTVM LEGIONIS TILLIANÆ, DUM VEXILLA benedicerentur.

Vexilla Chriſti, quæ micant;
Vexilla Matris, quæ volant;
Vexilla Tillij novimus:
Dux cùm ſit amborum pius.
Hæc ante veſtras ponimus
Aras, ut illis proſperas
Voces velitis dicere;
Et cælitus defendere.
Signis ſub his bellabimus:
Signis ſub his donabimur
Victoriis, Tilly Duce.
Hæc vota cælum ſuſcipe.

Digitized by Google

Fortuna bellica M. Tillii, quare tam conſtanter bona.

Mirentur alij jam, licet, fortunæ Tillianæ conſtantiam, tam pertinaciter uni ſemper Duci adhærentis, nunquam ne ad momentum fugitivæ. Dicant, in hiſtoriis nihil unquam ſimile ſe legiſſe, audiviſſe nihil hac tempeſtate bellorum. Dicam & ego, ſed non mirabor. Quis enim DIVÆ VIRGINI ſervivit, & ſuccubuit? Quis illius opem imploravit, & votis non potitus eſt? Jactabat olim Themiſtocles, ad bella duobus ſe potentiſſimis Numinibus comitatum venire, Suadâ & Violentiâ. Vellem, ut naturæ nunquam conceſſiſſes, magne Græcorum Ductor, aut natura tibi conceſſiſſet noſtra ſpectare certamina. Vidiſſes SUADAM, FAVUM DISTILLANTEM in tentorijs: ſenſiſſes VIOLENTIAM TERRIBILEM, UT CASTRORUM ACIEM in prœlijs: in quibus nonnunquam fama vicit, ſolum ſæpe nomen pugnavit, abſentia terrori fuit: TILLIUS præſens, uti fulmineus Jupiter, & tonitru timebatur. Quale autem & quàm illuſtre hoc votum eſt, quod militare Sacramentum firmavit? VEXILLA CHRISTI: Vexilla Regis; cujus poteſtati hæc bella ſubdidit, gratiæ commendavit, dedicavit gloriæ. QUÆ MICANT: Dignitate Crucis, pretio clavorum, ſplendore vulnerum.

Explicatur efficax huius voti dignitas.

I.

II. VEXILLA MATRIS: Admirabilis in bello, amabilis in pace, potentiſſimæ in utroque. QUÆ VOLANT: Inter hoſtes diffuſa, per medios hoſtes illæſa, ſupra hoſtes glorioſa.

III. VEXILLA TILLY NOVIMUS: Noverant & hoſtes, ſecurè fixa in caſtris; ſtrenuè agitata

in

in prœlijs; plura reportata ex victorijs. DUX CUM IV.
SIT AMBORUM PIUS: Sacramentum eſt dictum, veritatem audivimus. Tillius ut aliquid à Dei Parente impetret, ut à Virgineæ Parentis Filio: quo, precor, ſtrategemate, quibus utitur argumentis? DUX CUM SIT AMBORUM PIUS: ac ſi diceret: Domina Oetingana, Patrona Bojariæ, Cæliqve Regina! ſi Te amo, ſi tibi fidele juramentum præſtiti, ſi tibi milito, ſi Tillium tuum non aſpernaris: polliceor mihi victorias. micabunt vexilla, volabunt. HAS ANTE V.
VESTRAS PONIMUS ARAS: quas Majores noſtri erexerunt, veneramur: Romana Religio ſacras eſſe juſſit, amplectimur: Hæretici deſtruere vellent, nos prohibemus: UT ILLIS PROSPERAS VOCES VI.
VELITIS DICERE: Vah! contra hoſtes pugnaturis; Jo! pugnantibus; Te Deum laudamus, victoribus. ET CÆLITUS DEFENDERE: Sive minis terrendo hoſtes: ſive præſidio fulciendo amicos: ſive bonis auſpicijs excitando animos. Voti damnatus es non ſemel ô M. Tilly! confitere te reum eſſe. ſiſte dona, appende ſpolia, ſaluta Virginem. paruiſti Cæſari: tibi pronus æther. SIGNIS SUB HIS BELLABIMUS: VII.
ſine formidine, ſumma cum alacritate, ſpe certa victoriæ. SIGNIS SUB HIS: Quæ Ferdinandus Cæſar conceſſit, Elector Maximilianus provexit, Dux Tillius illuſtravit. DONABIMUR VICTORIIS: Quales nulla vidit antiquitas, noſtra ſuſpexit ætas, omnis

VIII. omnis mirabitur poſteritas. TILLY DUCE: Invicto ſemper ob pietatem, dilecto Superis ob caſtitatem, terribili hoſtibus ob fortitudinem. HÆC VOTA: toto pectore profuſa, haſtis & gladiis propugnanda, uſque ad mortem valitura. CÆLUM: cui TILLIUS militat, ſua bella conſecrat, quod meritus exſpectat. SUSCIPE: ut ſoles, ut confidimus, ut TILLIUS meretur.

Ita nimirum, ô Symphoriane, ita prorſus è pulvere ad Capitolium itur, longóque ordine inſtaurantur nobiles triumphi. Si cæleſtibus armamur præſidijs : ſi Clypeo Divæ Virginis, QUÆ SOLA CUNCTAS HÆRESES INTEREMIT IN UNIVERSO MUNDO: quam deinde phalangem, quos inimicos expavebimus? Fatui fuere Athenienſes, quòd ſimulacrum Victoriæ abſque pennis implume, erexerint; ne avolare poſſet. TILLIJ victoriæ alatæ fuerunt, ut citiùs advolarent: ſed alas addidit Virgo, una Virgo decoravit, Virgo aliqua celerem volatum promovit. nertes Lacedæmonij, apud quos Mars in vinculis detinebatur, ne pugnaturi Martem non haberent. Bellatori TILLIO Mars liber arma miniſtravit, non vinctus: hoſtium tamen numeroſos exercitus catenis vinctos trahens.

Hungariæ ad parentalia adventus.

Talia mecum Symphoriano differente, commotam ecce tremore ſcenam ingreſſa Regina eſt, formâ notabili, quamquam neglectâ parumper, pulveréque bellico obſita, more Amazonum cum pharetra & ſagittis. multus ſanguis in genis, vibrans lumen in oculis,

lis, acer in ore gemitus, quos compeſcenti ſimilis retrahere quodammodo nitebatur. criſtata caſſis renidebat optimo metallo. Cùm ambigeremus, quæ & unde veniret, ipſa è magnis cogitationibus in manifeſtum defluens luctum: Heu Hungaria! exclamavit.

Conqueritur Hungaria, à fama ſe deluſam, diverſa nimis de M. Tillij vulnere ac funere ſpargente: venturam ſe citiùs fuiſſe, ſi certiùs audiviſſet, quod tandem ſummo cum dolore percepit: habuiſſe omnino ſe ſpem, aliquando liberatum iri à Turcis, niſi Dux iſte jam nunc exſpirâſſet.

ERgoneas veris ululatibus impulit aures
Fama volans? ergo ille jacet, quo ſtante tremendi
Imperij moles nunquam eſt mihi viſa jacere.
Atqui ego credideram, non in vitalia plumbi
Miſſilis errorem rapidum penetrâſſe; ſed oſſa
(Hoc quoque grande nefas) ſolùm temerare profano
Impulſu, haud aliud quidquam de ſtragibus auſum.
In pejus decepta fui. triſtiſſima rumor
Diſtulit, ut rediens luctu majore noceret.
Profuerat, citiùs noviſſe: haud anxia votis
Aſtra fatigâſſem; nec mæſtis turbida curis
Interea miſera vidiſſem ſomnia noctis.
Funere narrato, quod res eſt, pulla, comáſque
Sciſſa ſupinatas, conſperſáque ſanguine fuſo,
More meo ſolemne ſacrum, lacrimáſque dediſſem.
Nunc geminata mihi cauſſa eſt, geminata doloris
Cauſſa mihi, & pleno ſucceſſit pondere fatum.
Nempe ego Regnum humile, & fingenti obnoxia famæ,

Deludi potiùs, quàm verum audire merebar?
Aut non digna fuit, communi & ſimplice luctu
Hungariæ fortuna frui? niſi nube ſolutâ
Mortis inundarent totam lamenta; fuiſſet
Vile nimis: quanquam hoc reputans & glorior, & me
Præfero in hoc luctu. tanti doluiſſe ſit iſtum
Ampliùs Heroa, amplexúmque inferre ſepulcro.
(Ingentem reliquæ Divæ mirantur amorem
Lugentis, cauſſáſque petunt, & diſcere: quando,
Ac ubi inaudierit de Magno Funere famam.
Illa ſolo attollens vultum, gaviſa rogari,
Annuit, aſpexítque omnes. dein talia fatur)

Rogatur Hungaria, ut narret quando acceperit famam Tillianæ mortis.

Tempus erat, quo jam diſcluſâ cornua fronte
Cœli aries, rutilíque lavabat velleris aurum.
Fertilis in flores, laxatáque germina, nodo
Pannoniæ turgebat humus, tauróſque vocabat
Paſtor ad undantes erecto gramine campos.
Sola ibam per me: multúmque irata ſuperbis
Odryſijs, quonam uſque feram mea crimina, dixi,
Aut quando ejectis purgabo hæc paſcua Turcis?
Tam dilectus ager, tam pinguia culta Galeſo
Certatura jacent, Nilúmque bibentibus arvis.
Silva viret, vivunt fontes, nitidíque Tibiſci,
SAVIQVE ingenui. quin & ſpumantia latè
Flumina, DRINA ſuperſtagnans, argenteus VNA,
MVRA celer, DRAVVS lenis, per noſtra vagantur
Oppida, & admiſſo lambentes mœnia gyro,
Penè etiam in Patria civili jure fruuntur.
Sunt mihi viſendæ præ magnis urbibus urbes,
Atteſtante Deâ Cybele: velut illa fateri
Dignata eſt; quando comitata prioribus annis
Mygdonios currus noſtris adverterat oris,
Méque penes voluit ſua non inviſa calere
Orgia, crinales buxo inclinantia muros.

Digitized by Google

Vt non immeritò felix, ornatâque tantis
Dotibus, Europa pulcherrima filia dicar.
(Riſerunt modicum Divæ, ſubitóque pudore
Mœſtam iterum ſtrinxêre genam : nihil illa notavit)
Sed cui dives opum Regio deſponſa reſervor,
Tótque procis ambita toro ? quas ſentio tedas ?
Prô ſcelus ! impuros Arabes mihi pronubus horror
Ingerit, & Mauros, invisáque vota tyranni
Threicij, nempe ille meo potietur amore
Trux Othomanigenûm (non poſſum dicere Cæſar)
Prædo nocens ? mea jura, meos ſibi computat ignes
Pro thalamo, dotémque petit, me ſcilicet ipſam.
Tota etenim ſum dos, & qui me ſponſus habebit,
Dotem habet in ſponſa : Sponſa dos altera non eſt
Quàm Sponſa ipſa. ſcit hoc noſter crudelis amator,
Obtruditque faces. ſed enim jam fœdere certo,
(Quid me Maure vetas ?) jam toto pectore nupſi
Auſtriacis. habeo, quem non dimitto, maritum
Auſtriacum. Domini pulcher, quem diligo, ſanguis,
Boicus à Matre eſt : (nutu generoſa modeſto
Bojaria aſſenſum dedit :) eſt à Cæſare Patre
Auſtriacus. (dulci ſuſpiria duxit amore
Auſtria, conſeruitque manus, & baſia fixit :
Omnia adhuc ſunt mæſta tamen.) cede, improbe, cede
Rivalis : niſi me cogas ; obnoxia non ſum ;
Sic quoque luctabor. miſeram me prædo cruentus
Infeſtat, vímque igne parat, vímque omnibus armis
(Ingemuere omnes) terret mulcendo, minísque
Blanditur, miſerisque modis divexat ; & hoſtis
Cùm ſit juratus, non vult tamen eſſe videri.
Interea ſpoliat, noſtrísque inceſta ſuperbit
Luctibus, & lacrimis, & fœdis Luna rapinis.
Illa IAVARINVM tenet, & connubia Budæ
Barbara turpis init, noſtrâque epulatur in arce.

Digitized by Google

Exerere Hungariæ defenſor, ſive SERINUS

Oſſibus ex magnis, aliquis redivivus in arma:

seu de monte nigro Dux SCHWARZENBERGIUS *ultor.*

Vana precor. manes ſua tranſegere beati

Secula: vivorum mihi ſolicitanda cupido eſt.

O! ſi finitis tandem Germania bellis

Reſpiceret noſtras acies, virèſque juvaret

Conjunctas. O! ſi, quem tot ſperamus ab annis,

TILLIUS *ad noſtras vultum converteret urbes.*

Hujus ego ingentum, morèſque, & prælia novi,

Victricèſque manus; & nunc quoque claſſica feſto

Cum fremitu audimus: cumulata ut plauſtra triumphis

M. Tillius miles veteranus Hungariæ. *Currant per totum, quà ſol patet aureus, orbem.*

Bruma mihi, totièſque æſtas, trigeſima fluxit:

Ex quo bellantis jam tunc ſuſpeximus haſtam,

Sub Duce Mercurio; & ſemper memorabile vulnus.

Ille modò adveniat: poſſum in mea ſceptra reponi.

Ille triumphato capiet diadema tyranno.

Ille meas aquilas nativo ſole replebit:

Non illo infando, qui diri ſideris omen

De Byzantino proſpectans æquore vibrat:

Unde mei colles, mea prata, amnèſque tremiſcunt.

Talia dicebam, indignans, & plurima, quæ non

Iam memini. celerata dein veſtigia movi,

Aſcenſu ſuperans Regalem triſtior Albam,

Mèque ſalutavi.

Cùm novus ecce volat, quà portâ neſcio, rumor,

Secretum lugubre ferens: hic murmure primùm

Rumor de caſu M. Tillij varius incertúſque in Hungaria. *Fracto, mox majore, & denique clamat hianti*

Ore: jacet, jacet, & lapſa ſpes nulla ſalutis.

(Ingemuere omnes atque aures arrexêre)

TILLIUS *exanimis cecidit. Variatáque fama,*

Ingenio ambages cecinit, diverſáque muſſans,

Nunc ſolum vulgavit equum; nunc addidit ipſum

Pro-

Digitized by Google

Procubuiſſe Ducem. modò cordis in ima ſedente
Vulnere transfixum: modò per caput enſe cruentum
Demerſo. jam glande fuit percuſſus ahenâ:
Iam crus confractum. rurſum hæc correcta: curulis
Tormenti majore globo, quà tempora ſidunt,
Deraſum facie ambuſtâ, excuſſóque galero,
Fama recens alio jactantior ore vehebat.
Quid facerem? indolui, cupiénsque audire, quod optes
Triſtia narrantes odi, & narrare coëgi.
Vt verò nigris etiam fama horrida pennis
Allapſa eſt; cœpitque necis miſerabile murmur
Spargere: confudi vultus, atratáque comptos
Turbavi crines: nervo languente pependit
Arcus, & ex humeris laceræ fluxere pharetræ.
Sic igitur vehemens & formidabilis ægro
Viſa dolore fui, mox Regi adſtrata; ſupremum,
Dixi, obijt viditque diem cum vulnere magno
TILLIVS occumbens: quo non tam TILLIVS ipſe,
Quàm ſimul Imperij corpus venerabile læſum eſt.
Iuro tibi. ſi fila Dea vel plura dediſſent,
Vel ſaltem flavo de nobiliore metallo:
Ille truces Baſſas, Muffitique, & cetera monſtra
Finibus è noſtris poterat depellere in Orcum.
Ille tuos hoſtes, & noſtra Pellicis altos,
Cornibus abſciſſis, poterat contundere faſtus.
Túque tot adſtrictus titulis Hymen auree, Ferdi-
nande potens, noſtro ſolus fruereris amore.
Namque ipſa primis, & adhuc vernantibus annis
Arduum, & ad noſtram pugnantem cominus Albam
Vidimus Odryſiæ complecti cornua Lunæ,
Inque aliquot partes diffracta remittere Turcis.
Heu: nihil obſtiterat fatis tam nobile pectus?
Nec talem potuit virtus avertere cladem?
Vadimus exequias celebrare, & flebile magno

Fama mortis conturbat Hungariam, quæ mox illam Regi Ferdinando III. defert.

Officium luxu cineri præſtare ſepulto.
ANGLIPOLIS, ſtadium Martis (Dea Boica ſurgens
Erubuit, decuitque rubor quaſi ab Iride mixtus)
Armatum aſſervat funus, luctúque triumphat.
Sic effata viam rapto, & quo cernitis oſtro
Triſte refulgenti dirúmque, hunc ſordida veni.
Nunc ô conſortes Divæ, comitéſque ſeveri
Concilij: (obliquè aſpectans clementer obivit
Quamque, incenſa genas, ſqualore venuſtior ipſo)
Vos in tam ſacri luctûs arcana recepta,
Pergite cum mundi invidia deplangere mecum.
(Surrexêre omnes pariter: paritérque ad tumbam
Convertêre oculos; paritérque iterum avertêre.
Inde choro abſiſtunt juncta, alterniſque gementes
Funebria implacidis numeris encomia miſcent.)

Conſurgunt Deæ ut ſupremum honorem funeri habeant.

Sola Auſtria nondum conſentit, indignata gladium Tillii à Marte repeti Quare adhuc privato dolore ægreſcit

Ibant ſupremum officium facturæ. nihil venerabilius illâ lugubri omnium ſpecie fingi poteſt; lugubrius nihil illâ venerabili præſentiâ. Sola Auſtria (mirum!) conſentire noluit triſti & ultimo Choro. Martis illam importunæ urgebant litteræ, & reſtituendi chariſſimi pignoris aureum ferrum ſolicitabat amantem. Lacrimabatur, & à tumba recedebat; & quo piaculo meruiſſet hoc ſupplicium, à Bojaria ſciſcitabatur. Turbine lacrimarum concedente, affectuum diſcors pietas exarſit: inde digna doloribus verba quærens, cùm vidit inſtare finem, plangens iraſcebatur Marti. neque tamen rationes Martis improbavit. Fortaſſis enim, dicebat, gladio TILLIJ opus erit. non quodlibet ferrum in hanc cervicem deſcendet. Reddam igitur? omnino, ſi illo enſe Auſtriacos Bojóſque

pro-

protegat, operæ pretium erit. Auſcultabant Divæ & mirabantur. Belgium, re intellectâ, mœſtum ſubriſit, neque non optavit; quando non minùs ipſa carere debeat, ad quam tamen potiori jure ſpectet. Erat igitur penè ardentius inter Deas de hoc gladio certamen, quàm cùm inter ſe Ajax & Ulyſſes pro Achillis clypeo, minis atque facundia conflixere. Bojaria ingenioſè admodum ſcitéque compoſitam technam diſſimulans, ſuaviſſimè ſolabatur, non ſine voluptatis aculeo. Auſtria, nil moror, inquit, reddo. Quin propterea non ingemiſcam, quis prohibebit? Comitis Serini, Maximiliani primi, Caroli V. omnium meorum arma poſſideo. Franciſci I. Galliarum (Gallia invidendâ reverentiâ ſe obnoxiam exhibuit, & inclytum Nomen regaliter ingeminans repetivit: viſa eſt omnibus placere ſcita lectáque indoles) Caſtrioti, pluriúmque, quorum arma oculis univerſi Mundi aſpectabilia induſſimus, nos penes honor ſingularis eſt, cultúsque: & Mars dubitat de M. TILLIJ gladio? non dubitat; utetur tantùm: peracto bello, remittet, nimirum quemadmodum Bucquoij, aliorúmque Ducum, remiſit. ut verbo dicam, crudiſſimus eſt Superûm, ad nullam humanitatem informatus, inter Cyclopes carbonúmque fumos educatus; Numinis, ſi quo pollet, ara Sicula & vagina eſt. Dixi. Dixit talia, ferventi calidóque luctu acerbior. mox remittendo muneri faciens vale, non quidem ut Dido Æneæ gladium,

dium, tam diro eventu, ſimili tamen, hoc eſt, magno gemitu, ſyllabáſque non gratas numerante, affata conſedit. (mirantur Divæ.)

Extremum alloquitur enſem M. Tilii eum deilnde Martitradiuur a.

ENſis care mihi, noſtros fruſtrate lacertos,
Iam nec Præſidium, Deliciúmque meum.
Siccine te repetit, qui te mihi præbuit antè,
Et debes iterum Martia caſtra ſequi?
Villosâ ſtringêre manu; quem ferre decebat
Auſtriacas, ſceptrum quæ tenuere, manus.
Fulſiſſes media pictis in poſtibus Aulæ
Pendulus, aut ſummis fixum anathema tholis.
Sed Pater hoc Gradivus eget. nempe enſe Gradivus?
Arte coloratos inſtruit ille dolos.
Transmittam tamen, ut non ſit, quod jure queratur:
Novi ejus bilem: nam calefacta furit.
At non hoc ſervare fidem eſt, non verba Deorum
Intemerata loqui; ſed puto, verba dare eſt.
Apparet, quanti faciat civilia jura:
Dat ſpecimen docti ſcilicet ingenij.
Hoc gladio rumpit fœdus, quo fœdera ſanxit;
Cùm me Bojariæ nexuit ille meæ.
Ah! priùs Elyſios Rhodopeio in culmine flores
Quæsiſſem, & Geticæ mellea dona nivis:
Quàm Mars ut me iſto privares munere: non ſic
Decipies iterum perfide: quære alias.
Enſis care mihi, noſtros fruſtrate lacertos:
Iam nec Præſidium, Deliciúmque meum.

Sic fata, in Bojariam oculos conijcit, illam enixè rogans, ut quæ Mars ad ipſam ſpectantia in Rhombis ferreo ſtilo exarâſſet, quando à ſe munus hoc repetivit, communicare non gravaretur: deinde ſe illico in ulti-

ultimi planctûs conſortium, concentúmque divinum ingreſſuram eſſe. Cogitabat Bojaria, arcanum Gradivi deinceps non ampliùs violari; etſi illud ipſum nunc inſigniter mœrenti panderet. Requirere hoc ſororium amorem, qui religioſiſſimo tactu ferri obfirmatus exauctúſque fuerat. Si diſtineret ulteriùs afflictam, odium, & diſplicitos affectuum tumultus ſe incurſuram: imò ne parentalia quidem ullum fore finem habitura. aperuit igitur dulciſſimæ Sorori omne Sacramentum; Probavit te Mars, ô Auſtria! experiri voluit, an hoc donũ æſtimares, num jacturã ejus facilem crederes: certè id, quod parvi pendimus, etiam ſine gemitu relinquimus. amata perdituræ, in curas acerrimas, & ſoliciti mœroris indaginem, rixas animi vocamus. Sed tu quidem dignâ æſtimatione inſignis vaginæ memorabile metallum exornâſti. lacrimis conſperſum læta recipe, méque & Tillium noſtrum fidens ama. (Auſtria defixa, vultúque vario hæſerat.) hoc addo, mihi inventum iſtud adſcribendum non eſſe. Marti refer in excogitatis: qui etiam in litteris ad me miſſis obſecravit, ut rei geſtæ ſeriem dignarer obſervare, ac reſcribere. Ita ſe res habet: fortunet, cui lubuit invenire. Quis hîc explicet tenerrimos Auſtriæ affectus? videbatur in novum vivendi uſum ſibi revocata, nunc primùm guſtare fructum hujus lucis. gaudebat tam ſincerè deluſa, & probabat ingenium, quod antè contempſerat, ignara, Martem

Intelligit ex Boiaria quid Mars amiciſſime litis invento exploraverit.

Digitized by Google

in utriuſque Epiſtola componenda ab argutiore Deo adjutum, rude ingenium capútque obtuſum tantiſper galero Mercurij texiſſe. (quaſi verò Mars ſuapte indole tam ſcitè loqui poſſit!) petijt deinde ſibi chirographum oſtendi. & mox Bojaria vellus Leonium explicuit. ſenſus vibicum potiùs, quàm litterarum iſte fuit :

MARS BELLORUM ET REMULI PATER, BOJARIÆ SUÆ SALUTEM ET CLYPEUM.

Epiſtola Martis ad Boiariam.

SCRIBO TIBI STILO VETERI. UT, SI AUSTRIA CURIOSA ESSET, NON INTELLIGERET: AUT SI INTERCIPERNTUR, NON PATERET EARUM SENSUS. ITA LOCUTI SUMUS ÆVO EVANDRIO. ADVERTE. HÆC SUMAI COPI' 'ST. CONLIGE. DUELLICUM GLADIUM ANQUISIVIT AUSTRIA. TUTEMET EXPERIRE, NUMNE AMET. NUMNE MUSSET. SI EJUS CUPEDO GRANDESCIT; AUT SIS OCULIS IN AMITTUNDO TIMEFACTA FLUENTER UVESCIT: MANIFEST' 'ST AMASSERE. LINQUE ERGO ILLI INDU MANU, NE ME INCILET SURPENTEM. CLARICITABO ID FERRUM, QUO VOS CONCOPUI AVI. O PAVE HUMUM: BONA PERVOLGO. PUNCTO TEMPORE TUDITA-

DITAVIMUS SUECOS. QUEM JAM TUIMUR MACTABILEM VALIDO PROTELO. NIHIL INDUPEDIT. CONVOLSUM DISSUPAT TUUS, QUI INNUMERALI CUM MILITE VENTAT. MAXIMITAS HOSTIUM ET DISFERITAS NON EST TANTA. TRIPECTORA NON SUNT, NON ANGUIMANI. NORICA URBS VACEFIT, QUIA CONTAGU FUNGITUR VOLGIVAGO. SUMIT AUGMEN, DUM PUTRORE TABENT SÆCLA EQUORUM. NIHIL VITIGENU' 'ST. MANABILE NON HABENT: ESSE NENUQUEUNT. MODO ABSIT STRIGOR, EGO UT CLUEAT VINDICTA DILUVIABO HOSTICUM SOLUM, ET SANGVEN PRESSABO. B. V. EX CASTRIS, DIE MIHI SACRO. ANNO A PRAGENSI VICTORIA IIIIIIIIII.

Tuus MARSPITER.

Suſtinuit deinde Bojaria interpretari verboſum ænigma: quod deterſâ caligine in iſto clariore ſenſu reſulſit. *Hac ſumma mearum ad te litterarum eſt. collige. Auſtria quidem bellicum gladium M. TILLII acquiſivit, me donante: ſed explora, an ejus amore tangatur, & reverentiâ. Si magnâ cupiditate flagrat poſſidendi, aut amiſſura, madidis oculis ubertim fleat, timeátque detrimentum; patefeciſſe amorem ſciat. quare in manibus ejus relinque, ne me accuſet querula, quaſi ſurripuiſſem. Enimverò ferrum iſtud, quo amicitiam vestram confirmavi, non dubitabo inter præcipua bellicæ rei inſtrumenta ponere. exulta, quate terram, Boj'ria: nam bona nuncio. jam* Explicatur Auſtriæ.

nunc tundemus egregiè Suecos. cujus caſtra conſpicimus cincta, magno impetu invademus. Nemo ullus impedit. Princeps tuus cum magna militum manu adproperat. hoſtium copiæ minimè gentium tam validæ ſunt, nec tam fortes aut feroces. Norimberga paulatim evacuatur à ſæviente peſte, quæ triſti malo populum dirè populat. cadavera putreſcentium equorum exaugent luem. vix intus jam aliquid habent, quod rodant; aut vini, quod bibant. Niſi intempeſtivum frigus conatibus meis obſtiterit, manifeſto vindictæ exemplo inundabo hoſtium caſtra ſanguine. His explicatis Auſtria mirari, gemitúſque jam non doloris teſtes, ſed indices gaudiorum exprimere cœpit. Divæ aliæ illi exprobrare amicè ſimplicis animi lepidam ferociam, quâ reum Martem læſæ Majeſtatis damnaverat. Et quàm immitia conjecit verba in innocentem? inquiebant: Mars debuit malè audire? Mars crudus eſſe: Mars fœdera rumpere: Mars nullas ſcire leges. Quin Auſtria ſemetipſam verecundè irridens, ſimúlque excuſans, culpæ ſuæ non injucundos errores, libenter audiebat.

Conſultatio Provinciarum, ubinam Tillius ſepeliatur.

Secundùm hæc deliberatum eſt, quem locum illuſtriſſimis exuvijs M. Tillij exornare vellent. quævis in ſua provincia aut regno nobiliſſimum cum ambitione offerebat. Bojaria rem ſuam agi videns, atque in medium conſuli, ubi Conditorium eligendum eſſet; non dubitavit & ipſa exponere, quod ſenſit. quare nihil cunctata, poſtquam cæteræ honoris causâ ſententias ſuas principe loco dixerunt, quâ extemporali potuit eloquentiâ, ita diſſeruit:

Non iſtud video nunc demum agi, ut ſupremi officij cultu celeberrimum hoc funus exornetur; ſed quemadmodum quæque ſe hoc funere exornare poſſit. ideóque tot locorum nomina proferuntur, & feliciſſimum cujusque Regni gremium panditur, ſuſcepturum fortiſſimi Herois oſſa. Placebit utique pijs manibus nobile obſequendi ſtudium, quos tam eximiâ humanitate atque incredibili amore etiam in ipſo tumulo permulcetis. nolent proinde dignitatem ac honores, quibus afficitis, cum veterum Ducum fortuna mutare. Etſi enim illorum funeribus dimidiatæ majorum effigies, manibus ſæpe, oculis, auribus, & naſo carentes, prælatæ fuerint ſtatuæ; aut curribus vectus fumoſarum imaginum ingens exercitus: nihil tamen inde ſolidæ gloriæ in cinerem redundavit; nec tali pompâ elati Numæ, Valerij poplicolæ, Menenij Agrippæ, Metelli, Æmilij, honoris ſolatium ſenſerunt. Vos ô sereniſſimæ, non quidem duo millia coronarum aggeritis ad tumbam M. Tullij, ut L. Syllæ aggeſſit olim populi celebritas: non tria lectorum millia ſtraviſtis. veruntamen, quod ego præſtabilius æſtimo, veſtrarum Regionum Mauſolæa illuſtriſſimis manibus dedicare paratis. quod quàm ex æquo & ritè ſtatueritis, haud difficile intelligo. Porro aliud nondum planè perſpicio: deceatne Bojariam, & fas ſit chariſſimas ſibi exuvias è cupitis amplexibus dimittere. Herculem Oeta, quo gloriatur, non dimiſit:

miſit: Hectorem Troja popoſcit, non reddidit. ut quid ego ſpoliari me ſinam Tillio meo? liberè dicam, quod ſentio. pace veſtrâ, ô ſereniſſimæ, non ſuſtinebo hanc jacturam ferre: facilior ſit alterius ſepulcri: iſtius certè vix expianda foret omnibus Libitinæ ſacris. non grata ſatis eſſe, patienter audiam; ingrata, nunquam: futura talis, ſi funus hocce alteri concederem. quid ergo eſt? vereor, ut ne vos habeatis? minimè. ſed officij mei eſſe judico, honorare mortuum, quem vivum dilexeram. Veniat, quæſo, in mentem ſtrenuorum facinorum, quæ tot annorum morâ impendit aulæ & caſtris meis; quódque ad vicem noſtrarum rerum eſt, Imperio Romano. quin ipſis in finibus ditionis noſtræ pro me pugnando, grande vulnus accepit, demum occubuit. Et ſuccenſeat quiſquam, ſi non in partem veniat dividundi ſepulcri?

Sed Belga eſt, Belgio debetur. deinde quid? eſt & Auſtrius, Gallus, Hungarus, non ſanguine, factis tamen. Sed Belgium produxit: Sed Bojaria provexit. quem genuit orbi, cælo ego genui. me præſente animam immortalem Conditori ſuo reddidit. An exiſtimatis, occaſum Viri minùs memorabilem eſſe, quàm ortum Infantis? imò morte obſignatos triumphos, quàm vitâ naſcente inchoatos vagitus? etiam iſtud negabitur, admodum convenire, ut, cui tanti Ducis fatalis caſus ſummum mœrorem attulit, ita eidem non omnino nullũ ſolatium afferre, quà poteſt, videatur?

tur?

tur? terrifica fulmina ſunt: ſubinde tamen eadem læta nunciant. Mors Tillij omnino amara mihi viſa eſt: quin poſſit tamen illa ipſa pacare dolorem meum, nulla dubito. præſertim ſi dulciſſimæ exuviæ intra meas curas ſteterint. ubi verò ſtabunt, imò ubi conquieſcent? Confidite: dignitas loco non deerit. parte illâ, quâ manſuetiore agrorum cultura floreo, & mitiſſimæ cælorum reſpirant auræ, Oettinga eſt, venerabile antiquitatis nomen jam olim adepta. ibi divinum cubile viſitur, ſacrarium, inquam, Divæ Virginis Mariæ, admirandis ſupráque naturæ vires pluribus effectis rebus inclytum; fulgétque donis opulentiſſimis: quorum non minima M. Tillius in illud ampliſſimâ manu congeſſit. Hac M. Tillium in æde componam. Favete vos, etiam veſtram cauſſam ſuſcipienti.

Finierat Bojaria. aſt alijs Deabus nec in mentem venit obluctari. conſenſere omnes: mutatis ſententijs, unum idémque voluere, juſſere. Quare paullulùm à tumba recedentes, atque ſi illam Oetingæ jam viderent, ſummâ religione coluerunt. abſtitere in choros: & quæcunque loquebatur, tanquam fatidico Numine agitatata, in majeſtate canendi fervebat, major cæteris viſa. Promiſcuè autem in vices ibant, ut quamque Deus inflammaverat.

Leſſus Dearum ſuper M. Tillio.

BOJA-

I. BOJARIA.

Non ergo te vilis humus, ſed nobilis ævo
Accepit, Genióque loci digniſſima ſedes.
Si quid in his fulget pretioſum finibus uſquam,
Si ſacrum, ſi divinum, ſi denique charum
Dilectúmque mihi; totum conceſſimus ultrò
Funeris obſequijs: fruere his, ô nobilis umbra,
Sedibus, OETINGÆQVE tuam complectere Divam.

II. AUSTRIA.

At non in Geticis Martem implorabimus arvis.
Illic ſe virtus pulchríque ferocia belli
Migravit præſens, felicem ubi TILLIVS armat
Compoſitus terram, duplici jam Præſide tutam.
Quam ſibi delegit Regina auguſtior olim,
Delectúmque ornat meritis: Oetinga deinceps
Militibus veneranda dabit decreta ſagatis.

III. HUNGARIA.

Auguror: his adytis ſeſe Victoria cludet.
Vt, quando auſpicijs quærentur bella ſecundis,
Miles ad hunc tumulum teneatur ſtare, futuris
Intentus, multúmqne rogans, edictáque poſcens.
Quicquid abhinc ſtatues; poſito tantiſper honore
Armorum, cupiet conſultum ſcire, tuúmque
Nomen ad excubias fors teſſera TILLIVS ibit.

IV. ALEMANNIA.

Si conſtricta metu nimiùm præcordia frigus
Perculerit, timidóſque animos pulſaverit horror:
Quam primùm trepidi vox iſta feretur ad aures
Militis: Oetinga ſumus. dedit omina noſter
TILLIVS: afflavit vigor oſſa, & ſenſimus urnam

Com-

Commotam. ſimul his, Borea ceu turbine torta
Saxa volant, celeres, celeres terrore remiſſo
Ambabus rapient bellum crudeliter ulnis,
Non exſpectato ſonitu, Vexilla ſequentur,
Et tubicen primùm pugnam, quum fuderit hoſtem.

BELGIUM. V.

Si nimis audaces furiâ ſufflante calores
Hauſerit importuna cohors, reſponſáque bello
Nota petet, dederítque eventûs ſigna ſiniſtri:
Non centum, non mille boves, non mille elephanti
Militis unius ducent ad prælia fruſtum:
Non ſi cum calida totus Mars irruat Ætna,
Exſtimulétque jecur, venáſque ardore virili
Torreat, ac tepidum procerâ verberet haſtâ
Pectus: & ut pugnet, Pompeij aut Cæſaris enſem
Offerat, Annibaliſque aſtus, Macedûmque phalanges:
Vel micam generoſa animus infuderit ira.
Omen abſit, bellúmque vetat Dux TILLIVS *auctor:*
Arma manúſque tremunt: longóque in carcere ſervat
Captivum vagina ſuum: ne liber in auras
Erumpat, metuens præfectus carceris horret.
Mors dura ante oculos, hoſtiſque inſtare videtur.

GALLIA. VI.

Quòd ſi fortuna melioris origine fauſtum
Annuerit bellum, non indignante Gradivo:
Ilicet exilient omnes, raptimque ferentur
In ſpem victricis palmæ. fera corda, trucéſque
Ardebunt oculi. vis inflammata juventæ
Intrabit mentes: bellum, bellum omnibus unum:
Hoc poſcunt voto, & mixtâ ſingultibus irâ.
Nec vires auferre furor, nec dura valebunt
Pectora conflictu cunei turbare rebelles.
TILLIVS *in campo, totiſque vocabere caſtris.*

Digitized by Google

VII. ROMA.

Hanc ergo Iani templo ſapientiùs ædem
Prætulerim: quiſquis pacem, vel prælia quærit,
Accedat, tentétque fores. ſi janua clauſa eſt;
Bella tonant, miráque novus vice vertitur ordo:
Indue texta ſagi brevis, & citò corripe telum.
Hoſtis habet patriam. ſed tu ne cede: feroces
Inſtinctus animi Ducis hujus tumba juvabit.
Si datur ingreſſus: pacem revereberis almam,
Nil timidus. ſecura quies per Boica rura
Floret: ſpica bonum fæcunda Virginis annum
Efficit; in falces gladios conſumpſit arator.
Quare adeò ſubſterne genu, manibúsque levatis
Funde preces calidas; votíſque recentibus aras
Accumula, Numénque Deæ clementis adora.
Pòſt Tumulum ingentem mirare, & lumine luſtra:
Et dic: Iſte fuit, Patriæ qui impendit ovantem
Per tot bella animam. Proavi dixère Parenti:
Ille mihi: tibi nunc memoro: tu Nate, Nepoti
Trade, ut ab illius diſcant Pronepote Nepotes.
Tillivs imperio donavit vulnera ſeptem,
Bojariæ octavum, & totum ſe denique funus.

BOJARIA.

Non ſolùm Oettingæ tumulum tibi Gloria fixit:
Sed totum ex æquo Mundum juſtiſſima merces
Obtulit: & Pragæ ſitus es: Regalis ad Albæ
Munimenta ſitus: ſitus es pugnacis in agro
Wimpffenæ. quicunque locus te bella gerentem,
Vincentémque tulit, Pario veſtigia ſaxo
Signavit, vetuítque mori. quot prælia vidit,
Marmora tot ſtruxit: tua quo tentoria campo
Explicuit miles, jam plurima Pyramis extat.

AU-

Audiebamus hæc, belli horrore præſentiſſimo perſtricti. Alphonſus: quid TILLIUM lugemus? ait: ita parentare mortuis, eſt vivos orbi oſtendere. Quid ampliùs exſpectamus ab illo? audit, videt, pugnat, vincit, vivit adhuc, & vivit glorioſè. quid cupimus? bella? hinc erumpunt. triumphos? ex hac tumba egrediuntur. conſilia? ex ſepulcro conſulit. Exclamaverat ergo Belgium: Utinam in liberos virtus tanti Ducis transcurreret! at enim cum cælibe exſpiravit iſte vigor. quàm maluiſſem in pulchra prole Parentem agnoſcere, parvulúmque Joannem his ulnis geſtare! docuiſſem illum ad ſcuta gladióſque reptare. ſcobe ferri perfudiſſem vultum, & docto jam criſtas agnoſcere, ſariſſam ventilâſſem. id modò me ſolatur cogitantem, in Nepotibus ſaltem M. TILLIUM, immane votum meum, vivere.

Tillius ſi non in filiis, vivet in Nepotibus ſuis.

Bojaria ſuarum partium eſſe exiſtimans fœcundam Ducis caſtitatem defendere: non eſt, inquit, quòd vereare Belgium: liberos M. TILLIUS plures, quàm Epaminondas habuit. & his quidem ſepulcra non parantur: nunquam enim occident. Inde pro dignitate hoc commonſtratura, noluit vulgaribus periodis rem circumſcribere; ſed ſuadente Deo, qui pectus intraverat, in heroicos verſus cæleſtem animum concuſſit.

Habet etiam poſteritatem caſtus Tillius

Continentia militantis laudata, & fœcunda Tillianis Victorijs.

INteger & pugnax animus, ſi magna meretur
Præmia: quanta tuus nulli tractabilis igni
Femineo, Dux magne, feret? quem nulla voluptas
Vicit, & à licitu etiam contempta reliquit,
Mollior illecebris intactum flamma rigorem.

Pauci hac in pugna triumphāt.

Sunt alij quoque, qui vincunt: vincuntur at ipſi
Non minùs, & vitijs proni ſuccumbere gaudent.
Bella gerunt; bello miſeri moriuntur in uno.
Arma ferunt Martis, ſed non ſine conjuge Martis.
Expugnant urbem; mox expugnantur ab urbe.
Tecta urunt flammis, Cyprióque uruntur ab æſtu.
Ardua tela rotant: nec tela Cupidinis arcent.
Glande quidem feriunt; ſed proſternuntur ab arcu:
Quique viros mactant, pueri ſunt victima cæci.
At tu, quem duplex bellorum balthеus ornat,
Atque inſueta ſacris Ducibus miracula nectunt:
Non ſolùm adverſas acies, infeſtáque ſigna
Vexillis collata tuis, animoſius aperto
Æquore fudiſti camporum, aut montibus altis:
Verùm etiam aërios hoſtes, quibus una poteſtas
Eſt, verſare dolis homines, tenebriſque pudendis
Fallere demerſos; pluſquàm mortalibus armis
Heros ſemideus pepuliſti à pectoris aula,
Armatus ſcuto Fidei, galeáque ſalutis.
Contra delitias mens immanſueta, virilis,
Cruda, ferox, ſcopuloſa fuit: quam flectere firmam
Nec vitij potuit dulcedo, nec orgia carnis.
Non tamen in ſterili virtus te riſerit ævo:
Multos Bellonâ qui obſtetricante triumphos,

Majo-

Digitized by Google

Majores alijs genuiſti: nempe Gigantes
Terrigenis olim ſimiles: non qualibus implet
Pigmæis parvas naturæ ignavia cunas.

Liberi M. Tillij, quos in Victoria coniuge ſuſtulit, ſunt Gigantibus, non Pigmæis ſimiles.

Quin etiam paſſim per mundum uxorius audis:
Ex quo Diva tibi nimiùm Victoria nupſit,
Non niſi te ſolo, TILLI, gaviſa Marito.
Cimbrica pugna tua eſt ſoboles: quam Rege cadente, I.
Affectu Patris, natam à tellure levâſti.
Sanguineáque lavans, in nomine Cæſaris, undâ,
Miſiſti ad reliquos fratres, Duce Marte Viennam:
Vt Iovis Auſtriaci felix aleretur in aula:
Os humerósque Patri ſimilis, nec cetera diſpar.
Pugna cruentato reſonans Turlacia campo II.
Eſt tua Progenies, primo vegrandis ab ortu,
Vagitúque ferox illo, qui terruit hoſtes.
Hanc clypeo exceptam, multóque ardore coruſcam,
Bojariæ miſiſſe Duci memoraris: ubi ingens
Triſtitiæ ſtrages facta eſt, optatáque partûs
Gaudia mœſtæ urbis dirum pepulere dolorem.
Maximus ille infans ferro ſtipatus & haſtis,
Vexillis tectus laceris, & pulvere plenus,
De tabo fumabat adhuc: tamen omnia pulcher,
Et facilis vegetúsque, & noſtris utilis armis.
Talem progeniem forſan Pharſalia nunquam
Enixa eſt: neque jam gravidâ Carthagine bellis
Scipio, vel Fabius triginta ſuſtulit annis:
Aut etiam luſcus Cannis prægnantibus Afer.
Quàm felix pater eſt, quem tam numeroſa propago
Reſpicit! hac tuus eſt ſanguis, tua vulnera, TILLI:
Sic natos agnoſce tuos: quósque auſpice tedâ
Funeſtâ nimiùm, thalamiſque atrociter uſa
Partheno pulchra polis peperit tibi nigra puella. III.

Digitized by Google

Optabat ſibi quæque Diva tam ſtrenuam ſobolem: Et Belgium quidem: ſi tu hanc, ait, numeras; næ ego ſterilis Mater non ſum.

Finis Parentalium.

Jam denique ad abitum ſe paraverant, permiſtis familiari mœrore cærimoniis intenti· quidquid Perſæ & Aſſyrij laudabile, Ægyptij ſacrum, Romani ſumptuoſum, Alemanni virile in Parentalibus uſurpaverunt, in unum cumulum conferentes. Nulla non voces in laudem Funeris ſolvit. Nulla non Funeri reverens aſſurrexit. omnium vox erat: Tua, ô Tilli! gloria perennabit in Imperio Romano. Gallia te veneratur: Hungaria te deplorat: Roma te laudat· Belgium te colit: Bojaria, Auſtria atque omnis Alemannia, mirantur: jámque adeò ſingulæ encomium tibi tuum volentes concinimus. Rem autem ita peregerunt, ut, ſi quæpiam laudibus dictis abire vellet; pededentim recederet, & officio feciſſe ſuo ſatis cenſeretur: ſi, quæ permanere; ſæpius Chorum iteraret, & tandem, gratiis illi à Bojaria habitis, abire ſineretur. Bojaria honoris causâ exordiri permiſſa.

BOJARIA.

O! quàm te memorem bello Dux inclyte Tilli!
Non alium ſimilem tibi noſtra hæc protulit ætas.

AUSTRIA.

Hi toties æquo ſudantes Marte lacerti
Cædibus innumeris: iſtud Germania ferrum,
Quod jam vix credas, peperit tibi ſæpe ſalutem

GAL-

GALLIA.

Has Henrice manus laudâſti Quarte, tuíſque
Strenuus accitas voluiſti aſtringere bellis.
Prudens judicio mentíſque indagine ſolers,
Iſtarum manuum quòd tanti feceris uſum.

BELGIUM.

Quàm tibi certa fuit felixque in prælia dextra!
Sive peremiſti: tam pulchrâ morte ſuperbus,
Quiſque ſuos potuit ſolari hoc nomine manes.
Sive peperciſti: venia tam nobilis hoſtem
Non puduit, grates cumulantem, & ad arma paratum:
Quòd pretioſa tuo meritus ſit figere ferro
Baſia, id halanti blandum pulſantia labro.

ALEMANNIA.

Quidquid iners ætas neglexit: quidquid iniquum
Perdidit ingenium, rabiéſque immanis habendi
Abſtulit; ille iterum, depulſo turbine rerum,
Reſtituit virtute ſuâ, mitique reduxit
Imperio, & validis protexit fortiter armis.

BOJARIA.

Tu Dani faſtum domuiſti, & vindice ferro
Morgani furiale nefas. hinc Cimbrica Tethys
Imbelli glaciata metu, formidine ſolâ
Torpuit, oſtenſis frendens immane catenis.

AUSTRIA.

Cùm tonuit belli nubes, ut fulmen in hoſtem
Irruit, armorum vibrans penetrabile fulgur.
Caſtra, ſuáſque acies clemens pervaſit ut aſtrum.

ROMA.

Qui tua bella ſequi ſtudet, aſpiráſque triumphis

Am-

Ambitione tumens : is Solis quærit habenas;
Et Phaëthontæo citiùs fumabit in amne.

BOJARIA.

Vix exſpiráſti, contemptor luminis hujus,
Bellatricem animam : mox contremuit titubante
Terra gradu; motúmque novum molita, bis auras,
Bisque Lyci contorſit aquas : ter gurgite rupto
Proxima diviſit mirantibus æquora ripis.

AUSTRIA.

Quam lapſus ſignavit humum, venerabilis omni
Poſteritatis erit ſenio, natisque Nepotum;
Dicéntque: hic cecidit, cúmque illo tota ſalutis
Machina. viſuræ ſtimulante cupidine gentes
Accurrent, tantæ mirantes fata ruinæ.

BOJARIA.

Vt te vilis humus, nullisque incincta cupreſſis
Abderet, & tumba vulgari clauderet antrum:
Quid tibi ſubtracta ſpacium telluris obeſſet?
Qui per te magnus, ſemper tibi ſufficis unus.
Certiùs & meliùs nôſti, quàm longa tuorum
Sit menſura pedum : quæ corpore digna ferendo
Terra levis : quo te cupias veſtire jacentem
Ceſpite, & ingentes tumulo quos porrigis artus.

AUSTRIA.

Vt te nemo canat, nullus ſciat; ipsáque vatum
Relligio taceat, fruſtra celebrare rogata:
Nec reſponſa ſonent montes, percuſſáque plectris
Barbita; & à mutis fugiant præſagia Muſis.
Nónne tamen te facta ſatis loquerentur, & arma,
Quæ pia moviſti, collisáque caſſide caſſis,
Cum clangore tubæ canerent? magna ora triumphi
Pandunt, éque tuis ſpirat facundia bellis.

ALE-

Digitized by Google

ALEMANNIA.

Ecce Ducum Ductor! cujus laus cognita caſtris,
Vita probata Deo, virtus ſpectabilis hoſti.

AUSTRIA.

Te tuba rauca ſono, valido te claſſica pulſu,
Te litui lugent pleni vocalibus auris.

BOJARIA.

Te mæſti flevêre Duces: te militis horror,
Extinctum trucibus lacrimis confeſſus, amavit.

AUSTRIA.

Ipſi adeò magni montes, quos propter iniquas
Proſtraviſti acies, ſilvaque, & vallium opaca
Sunt audita queri, nubis reſonante procellâ.

BOJARIA.

Ipſi adeò trepidi fluvij, quos ſæpe cruenta
Strage retardâſti, jam liberiore meatu,
Et ſine funeribus ſeſe mirantur abire.

AUSTRIA.

Dum Mœnus, dum Molda fluit, dum turbidus Iſter,
Cæruleóque feret Rhenus cava robora dorſo:
Semper Theutonicis tua fama coletur in oris.

BOJARIA.

Dum Leo ſidereus ſtellas, dum Boicus arma,
Dum gladium Mavors, Aquilæ dum fulmina portant:
Mortuus, in noſtro tamen ore & pectore vives.

Itaque ultimùm abſceſſit Bojaria. atque hæc non ſine magnifico pietatis ſenſu relicto, manus Auſtriæ conſerens. Jámque vacua prorſus ſcena, horrorem tamen adhuc Divinum à Dearum veſtigiis impreſſum

ſpirabat. cùm Symphorianus, qui interea contemplatione nobiliſſimarum laudum, laudéſque canentium defixus ſtupebat, quaſi experrectus: Superi me ament, ait: quanta virtus homini parit encomia! Num, ſi Tillius aliis quibuslibet negotiis ſe implicâſſet, tantarum rerum monumenta honori ſuo deferri vidiſſet? Virtus igitur, ut ego quidem judico, bellica pietate Numinis mixta, ſummum in terris mortalium bonum eſt. Abſque hac dum vivimus, mortui ſumus: & ſi mortui, bis ſepulti. Ephæſtionem denis millibus talentorum extulit Alexander M. in domo, ubi hic exſpiravit. Cornelio Syllæ poſt fata, ex thure ſpicíſque Arabicis ſtatua legitimæ magnitudinis erecta eſt. quid hæc ad honores Tillio habitos? quid verò illi, ut tales haberentur, æquale Tillio geſſerunt?

Tumba Tillii velut Mundi tabula eſt.

Ex aſpectu hujus tumbæ erudimur non aliter, quàm olim ex mundi tabula Socrates Alcibiadem erudivit. Diſco bene vivere, mortem non timere, gloriam contemnendo conſequi, divitias conflare ſpargendo, bellare vincendo: diſco, virtute fretus, pericula & calamitates hoſtiúmque minas inſuper habere. video vanitatem mundi, decus virtutis, fructum honoris. Audivi, quæ in milite, quæ in Duce requiruntur. Quid autem mirabimur, Tillio parentâſſe integra Regna? cùm ipſe hoſtis extinctum laudatúmque militari ſuſpirio honoraverit, dixeritque palàm:

Hoc

Hoc MORTUO NULLUS EST, QUEM METUAM ! tumulato Tillio, quot non jacebunt? Judicium Regis Sueci de Tillio

Non diſſimilia dicturum Alphonſum, occupant ſex atrati Juvenes, qui omnium primi venerant, & eodem habitu, quo priùs. Tunc, ſine, inquiebam, Alphonſe : hi more conſueto finient. Intelligo pol! hæc omnia adgubernâſſe Apollinem. illi haſtis inverſis pulſantes ſolum, voce à dulci naturæ genio commendabili, ita cecinêre.



CHORUS V.

Monet, ut M. Tillium nullus ambitioſè æmulari, aut ſuperare contendat : futurum enim priùs, ut talis, velut alter Phaëthon cum ludibrio deficiat, quàm exæquet.

Tillij famam ſuperare nullus
Militum tentet : niſi qui coruſcos
Cynthij currus, petulans & alter
Filius Solis Phaëthon, tumultu
Commovens cælum petet, inſolenti
Hujus exemplo Iuvenis futurus
Fabula Mundi.
Ille ubi Patrem properarè vidit
Per duos axes, redeunte ſemper
Praviâ ſtellâ : madidos jugales
Et viâ feſſos, ſimul ac marini
Tinxerint fluctus, iterum citatis
Paſſibus vaſti peragrare cæli
Nobiles campos, ſibi nil timendum
Credidit natus, nimiùm protervis
Viribus fidens. nec opus ſtupendum
Cenſuit ; nubes ſuper, & planetas
Inter, & ſtellas prope, concitatâ
Provehi Patrem medium quadrigâ :
Sic, ut æquali ſpatio viarum
Terga ſervato regeret Phlegontis.
Quin ubi pulchros ab honore menſes,

Et

Digitized by Google

Et puellares ſpeculatus horas,
Hauſit aſpectus & amoris ignes:
Vidit, exarſit, petiitque currus.
Heu! miſer ſcandis, ſubitòque voti
Pœnitet. dum vult moderari equorum
Igneos motus, timuit Booten,
Et boum ſeptem glaciale pratum:
Quique curvato ſpatioſus anguis
Sibilat gyro. timuit leonis
Flammeos rictus, & inauſpicati
Scorpij chelas. rapit ergo pronum
Bellua currum.
Inde turbatus trepidavit æther,
Palluit Lunæ Chorus, & repreſſo
Aſtra concentu tacuêre muta.
Frigidum cœpit rota pervagari
Devians axem. tepidos triones
Sudor invaſit nive diſſolutâ.
Tu puer, fili malè glorioſe,
Propter errorem Iovis igne pulſus,
Decidis. fumat Padus, atque fulmen
Eluit lymphâ. miſeræ ſorores
Frondibus rorant querulis, & udo
Luget extinctum lacrimoſa fratrem
Littore ſilva.
TILLIUM quiſquis ſuperare geſtis
Rebus, aut bellis cupit æmulari:
Fiet hic alter Phaëthon, ſuiſque
Excidet auſis.

Hæc audaci vultu multúmque præfidentes. Nos, an adhuc aliquas laudes numeraturi eſſent plauſibi-

 libus

libus metris, præſtolati, ereximus audientiam. Verùm illi ſubducto vultu, clauſiſque galeis, inter Decemviros immobiles conſedere, vultibus haſtiſque ad tumbam verſis. Et jam ſenſim calore ætherio ſubtracto, Cyrrhæique Numinis vi recedente, ſpeculationes poëticas nos quoque pati deſijmus. Poſt paullò mortalibus ceteris ſimiles, ſolas vaneſcentium imaginum umbras deprehendere poteramus; non verò aliquid videre, quod prioribus ſpectaculis dicendíque majeſtati congrueret. Demum in illo ipſo loco (erat cumprimis Religione ſingulari, maximámque facundiam ſpirantium pietate in Cælites venerabilis) ſtare alter alterum comperimus, quo favorem primum numeroſæ ſapientiæ experti, in armati funeris ſacrarium nobis ingredi videbamur. Beneficium vivacis memoriæ manſit: adeò objectæ ſpecies rerum, ſacrúmque phantaſma modo miro efformatum tenaciter cohærebant. Alphonſus atque Symphorianus mihi gratiis actis, & adhuc ab occurrentium viſarum rerum floridiore reminiſcentia penè attoniti, quod præterea dicerent, non habebant: illud unum rogantes, ut ad beneficia adderem promiſſionem diligentiæ meæ: atque hæc Parentalia prorſus eo ordine funebríque luxu & dignitate, qua videramus celebrata, conſcriberem: dictitantes, nullius operæ pretium majus factum um me eſſe. Sic diviſi ſumus.

Quomodo Scriptor Parentalium, cum ſociis inde exierit.

Sym-

Digitized by Google

Symphorianus caſtra ſua repetens, clàm mihi: At enim ego jam didici, qualem deinceps militem agere debeam, quem Ducem ſequi, & quid in Duce imitari. Tu, ſi nos amas, ſpectacula hæc denotabis Muſarum radio, & militibus Tillianis Amicísque oſtendes. pollicitus ſum.

Ubi abierant, regeſſi mecum primordia prærogativæ tam ſingularis, aditum ad hæc Parentalia concedentis. Jam novi, inquiebam, quæ qualésque ſint illæ Deæ, quas ſomno Religioſo involutus, videbar intueri ad TUMBAM TILLIANAM, querelas, amorem, gaudium luctúmque miſcentes. Itáne illa Bojaria fuit? & hæc Auſtria? & tam amabilis atque ex ingenio compoſitus cum Marte diſſenſus, conſenſúſque dulcior? Ergo, Mars ille vir tam anxio dolore fuit formidabilis? Ut flebilibus modis Hungaria Belgiúmque ingemuit? ut Gallia luculento teſtimonio virtutem defuncti extulit? Et ô MAGNE TILLI! inquam: ô Heros digniſſime iis laudibus, quas audivimus! bellum inchoant etiam inertes; non niſi fortes finiunt: vetus veríſque ſermo eſt. Finijſti fortiſſimè, ut vidimus. vidimus illa arma, quæ adoranda reliquiſti nobis: priuſquam te ſideribus inferres, vidimus. Contigit tibi, quod quibuſdam in certas urbes tendentibus evenire ſolet; ſi ingredi velint, ſtatutâ lege arma ad portam relinquere

com-

compulſis. Tu in pacis illam Civitatem beatam, déque vivis lapidibus exſtructam Hieroſolymam ingreſſurus, poſt tot bella ſtragéſque hoſtium cingendus auro coronario, cogebaris arma & tela deponere: atque ita inermis, ſed victor; cingulóque exſolutus, ad decretos tibi triumphos properâſti. Vive, ô bellator orbi in exemplum date: & laudes tuas canentibus in humili, Tu ſublimis ignoſce!

Regi ſæculorum immortali & inviſibili, ſoli Deo honor & gloria.
I. Tim. I.



Digitized by Google

ILLVSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI COMITIS DD. JOANNIS TILLII CARDIOTAPHIUM.

Sive

EPITAPHIUM CORDIS TILLIANI OETINGÆ SEPULTI.

CUJUS VITA MILITIA, MORS TRIUMPHUS,
ET COR NUNC EST, UBI THESAURUS FUIT.
HUMILIS ANCILLÆ HUMILITATEM:
CASTUS, MATREM CASTITATIS COLUIT:
MILES, CERTAMEN DEI CERTAVIT:
FIDEM SERVAVIT:
CURSUM CONSUMMAVIT:
IDEO REPOSITAM JUSTITIÆ CORONAM
REDDIDIT ILLI DOMINUS,
JUSTUS JUDEX,
ULTIMA DIE APRILIS,
ANNO CHRISTI,
M. DC. XXXII.

Gratulationes Vrbani VIII. Pont. Max. ad Illuſt. & Excell. DD. Comitem Joannem de Tilly, De ejusdem laudibus & obtentis ab eo Victoriis.

URBANUS VIII.

Dilecte fili, Nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Converſi ſunt totius Europæ oculi in Nobilitatem tuam, tibique nationum omnium voces plaudunt. Inimici etiam ipſi, dum tibi iratos Cælites & infeſtos exercitus precantur, ſatis luculenter impiis ſacrilegi odij votis declarant, quàm metuendum cæli fulmen & impietatis flagellum ſit hoc tempore in Germania, fortitudo, & pietas Nobilitatis tuæ. Hæc nominis tui fama, juventutem bellicæ laudis appetentem, è remotis etiam patriis evocat ad caſtra tam glorioſi ductoris. Nam præterquam quòd eos iſtuc allicit exemplar virtutis & ſpes victoriarum, ſperant etiam fore aliquando, ut pro illuſtri militaris gloriæ teſtimonio, in Europa habeatur, fidem & fortitudinem approbâſſe Nobilitati tuæ. Ea opinione imbutus dilectus filius Clemens Detus, ſub tanto Duce vitam Catholicæ Religioni devovit. Quem Florentini generis claritudo, & militaris ingenij indoles

les adoleſcentem ad exteras nationes & Germanica bella deduxit, cum ſatis commendatum putamus Nobilitati tuæ, ipſo voto & conatu. Quia tamen ſingulari charitate ejus fratres complectimur, voluimus diligenter Clementem commendare Nobilitati tuæ. Gratiſſimum autem Nobis fuerit, ſi ille apud te ſenſerit ſibi non ſolùm glorioſum, ſed fructuoſum etiam eſſe Romani Pontificis Patrocinium. Beneficia certè, quibus hujus juvenis ſpes humanitas tua excitabit, non exiguo erunt Nobis ſolatio, qui Nobilitati tuæ Apoſtolicam benedictionem peramanter impartimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die xx. Decembris M. DC. XXV. Pontificatûs Noſtri Anno Tertio.

Ioannes Ciampolus.

Digitized by Google

URBANUS VIII.

Dilecte fili, Nobilis vir, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Dextera cæli & flagellum impietatis habetur hoc tempore in Germania, virtus & potentia Nobilitatis tuæ. Illuxerunt coruſcationes legionum tuarum DANIÆ perduelli, & illa ab eis ſenſit torqueri fulmina ultionis Omnipotentis, fœdam teſtata formidinem, Regis fugâ & deditione oppidorum. Plaudet conatibus tuis fama poſteritatis, & Pontificia vox frontem iſtam galeâ ſalutis armatam, meritæ laudis palmâ coronat. Sequere, dilecte fili, Dominum exercituum in Catholicis caſtris deprœliantem: ille verò venerabile iſtud ſenium, viribus juventutis roborabit, ut perfectum triumphum de hæreticis deſertoribus per Tillium Ducem agere poſſit Religio. Nunc autem cupimus te ad Oſnaburgenſem Eccleſiam, ſuo Præſule viduatam, non ſolùm oculos adijcere, ſed etiam, ſi res exiget, arma convertere. Quàm firmum fidei propugnaculum ibi dirutum ſit, moriente dilecto filio noſtro Itelio Friderico Cardinali Zollerano, publicus Eccleſiæ dolor teſtatur. Facilius quidem eſt, tam bono Antiſtiti ſubrogari hæredem dignitatis, quàm virtutis. Conari tamen debemus, ne ſacris illius Epiſcopatûs infulis, ſacrilega impietas exor-

exornetur. Non te latet, qui conatus futuri ſint hæreticorum, ut tam inſignem poſſeſſionem Catholicis adimant. Quia verò non niſi contra jus atque fas illuc aſcendere poſſunt; quos ratio & lex non coërcet, vi & armis deterrendi ſunt ab injuria. Quid præcipuè, & quâ opportunitate conandum ſit, meliùs quàm ſollicitudo noſtra, decernere poterit prudentia Nobilitatis tuæ, cui totius ratio eſt exploratior. Omninò nil eſt intentatum relinquendum, ut in inſigni illa Eccleſia Catholicus Epiſcopus dominetur. Speramus ex ejusmodi materia, uberes gloriæ fructus percipiendos eſſe à Nobilitate tua, cui Apoſtolicam benedictionem impartimur. Datum Tuſculi ſub annulo Piſcatoris die XVIII. Octobris M. DC. XXV. Pontificatûs Noſtri Anno Tertio.

Ioannes Ciampolus.

Digitized by Google

URBANUS VIII.

Dilecte fili, Nobilis vir, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Benedictus Dominus, qui docet manus tuas ad prœlium, & digitos tuos ad bellum. His verbis alloqui decet Nobilitatem tuam, quæ veræ militiæ leges eſſe teſtatur Divina mandata, in timore Domini conſtituens laudem fortitudinis. Qui has bellandi artes callet, eas victorias conſequitur, quas tibi ſolemne eſt de hæreticorum perfidia reportare. Quare Cæſarea caſtra non ſolùm fortitudinis arcem, ſed etiam pietatis templum fieri dicuntur, tam religioſi Ducis exemplo. Harum laudum commemoratione Nobilitatis tuæ triumphis plaudit Eccleſia Romana. Trucidatas nuper DANICAS LEGIONES, erepta vexilla, minitantis Regis fugã, nationes omnes in urbe loquuntur Comitis Tillij beneficia. Tantæ Victoriæ decus Nos tibi gratulamur, atque hoc Pontificiæ lætitiæ monumentum inter virtutis tuæ trophæa extare volumus. Sanè Apoſtolicæ charitatis teſtimonijs frui par eſt Nobilitatem tuam, quæ metus in gaudium & pericula in victorias convertens, periclitanti Religioni atque Imperio ſecuritatem reſtituit. Noſtra autem ſolatia non mediocriter auget fortitudinis tuæ conſtantia, quæ non ſolùm conſcium ſuæ infœlicitatis hoſtem invictum pugnare coëgit, ſed etiam inſequitur

tur

Digitized by Google

tur diſſipatum. Adhuc oppreſſæ legiones invitant victrices gladios, ad hauriendum reliquum impietatis ſanguinem. Eja igitur dilecte fili, in hæreſis excidium Deum Ducem, & tuam virtutem ſequere. Sciat tantis cladibus ſuperſtes Rex Danus, ſe poſt turpem fugam nobilioribus Cæſaris triumphis, & digniori propriarum miſeriarum ſpectaculo ſervari, & iniquitatis comitem fore infelicitatem. Nos tantum decus triumphatori exercitui, tantúmque beneficium Religioni Catholicæ aſſiduis precibus comparare ſtudemus; ac Nobilitati tuæ Apoſtolicam benedictionem peramanter impartimur. Datum Romæ apud S. MARIAM Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XXVI. Septembris. M. DC. XXVI. Pontificatûs Noſtri Anno Tertio.

Ioannes Ciampolus.

Digitized by Google

URBANUS VIII.

Dilecte fili, Nobilis vir, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Impia illa Virgo, quæ cæleſti ſponſo nubere noluit, cùm facta eſſet adultera Satanæ, MAGDEBURGENSIS CIVITAS, experta tandem eſt ultoris Numinis furorem coruſcantem in dextera Nobilitatis tuæ. Contorquere voluit Omnipotens per manus Catholicorum exercituum fulmina cæleſtis indignationis, quæ incolas & tecta Civitatis Eccleſiam aſpernantis, devorârunt ſicut ſtipulam. Tu verò poſt tot ſtipendia & trophæa, triumphalis ſenex, tanta auctus victoria, potuiſti lavare victrices manus in ſanguine peccatorum. O decus dignum, cui Cælites plaudant, quod Reges cupiant! Mutata eſt per te rerum facies in Septemtrione. Ubi enim hæretici furentes audaciâ, minitabantur incendia templis, catenas Principibus, contumelias Sanctis, nunc in Magdeburgenſi clade conſternati coguntur formidare impiæ potentiæ finem. Vive ac triumpha fœliciter Nobilis vir, tu laus Iſraël, tu honorificentia populi noſtri, qui convertere Nobis potuiſti ſollicitudinem in gratulationem, & metuentem Religionem galeâ ſalutis & frameâ ultionis armâſti. Nulla planè Natio in hoc Urbis Theatro de tuis laudibus conticeſcet. Diceris enim muniviſſe ſemper ſanctimo-

Digitized by Google

moniâ, fortitudinem, nec minùs fœliciter cupiditates in corpore, quàm hoſtes in varijs provincijs edomuiſse. Jam verò tantarum laudum commemoratione augetur publica ſpes, quæ freta Deo, in Catholicis caſtris excubanti, & Principibus pij belli auſpicibus, videtur non temerè in Germania diadema perfecti decoris Catholicæ Religioni à tua virtute polliceri. Eja age Nobilis vir, ſequere Deum, qui te hac victoria vocat ad integrum devictæ impietatis triumphum. Omnino verò enitere, ne quid in conſulentium deliberationibus decernatur, quod dimicantium militum odia irritet, & haberi poſsit victrici Religioni inutile aut indecorum. Benedicimus tibi, dilecte fili, intimo paterni cordis affectu, atque oramus Deum, cui omnia vivunt, ut in ſenio Nobilitatis tuæ velit ad publicæ ſpei fœlicitatem inutile robur revireſcere. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XVIII. Junij M. DC. XXXI. Anno Pontificatûs Noſtri Octavo.

Ioannes Ciampolus

F I N I S.

Nn

Indiculus vocum ac Nominum aliquot minùs obviorum.

A. 3. *Fabius Maximus*, Cunctator dictus, quòd Hañibalis exercitum cunctando eluſiſset ac fregiſset.

Paulus Æmilius, Perſen Macedonum regem vicit, & captum Romæ in triumphum duxit.

Valerius Corvinus, à Corvo ſic dictus, qui Gallum Giganteum corvi auxilio vicit.

Camillo pijs manibus parentavit S. P. Q. R. id eſt, Senatus Populúsq; Romanus. Fuit hic Camillus alter Romulꝰ dictus, ob egregia in Rempubl. Rom. merita.

N. 9. *Funus in Libya*, quæ Africæ pars.

Pompeij, in navicula interfecti truncus ſeu cadaver reſecto capite.

10. *Pharſalia acies.* In Pharſaliæ, quæ eſt regio Thesſaliæ, campis Jul. Cæſar Cn. Pompejum, & poſtea Auguſtus Cæſaris percuſsores, bello vicit.

15. *Georgius Caſtriotus Scanderbeg* Princeps Epiri armatum potuit dimidiare virum.

30. *Thebæa* Legio, Duce S. Mauritio pro fide cæſa.

31. *Perſica Gaza* ſumitur pro maximis divitijs, quibus olim Perſæ abundabant.

43. *Funerales Latij Larvæ.* Sic auctor contemptim vocat veterum Rom. Ducum jactantiam.

45. *Choragos ætheris.* Ita vocat fictas Deas, quæ Choragorum more pro Tillij honore ac laudibus in ſcenam prodeant.

46. *Parthenopolis* Magdeburgum.

56. *Cynthius* pro Phœbo ſeu Apolline, à monte Cyntho in Inſula Delo, ubi Apollo natus dicebatur, ac præcipuè colebatur.

Phocis regio Græciæ. *Delos* Inſula in mari Ægeo: uterque locus Phœbi oraculis clarus.

57. *Caſtalia Lympha.* Caſtalius fons ad radices Parnaſſi, cujus lymphâ ſeu aquâ poëtæ credebantur ſpiritus meliores pro poëſi haurire.

Python, Draco, quem Apollo confixit.

Bellona, Dea Belli.

60. IV. M. T.

Digitized by Google

60. I.V.M.G.P.II.R. ficti ſunt characteres, quos Lector poteſt arbitratu ſuo, ſi lubet & vacat, interpretari.

Agamemnon. Græcorum pro Helena pugnantium Dux.

66. *Nereides* Nymphæ maris.

68. *Pyrous*, equus Solis, apud Poëtas.

69. *Gradivus*. Mars.

70. *Sabei*, Saba civitas Æthiopiæ.

71. *Lyſimachus*, è ſucceſsoribus Alexandri M.

73. *Marathonij* & *Æmathij* Campi: in quorum priore Theſeus taurum, Miltiades Darium Perſarum regem ſuperavit: in poſteriore Cæſar Pompejum vicit.

75. *Machaonia ars*. Artes medicæ, à Machaone Æſculapij filio, inſigni medico.

80. *Evandri rupes*. Palatinus Mons inter ſeptem Romæ colles.

82. *Trieteris*, trium annorum ſpatium.

Thyaſus, Saltatio Baccho exhibita.

85. *Scythica pruina*, hoc eſt, magna, qualis eſt in Scythia, regione ſeptentrionali.

85. *Hebrus*, fluvius Thraciæ.

9. *Strymon* fluvius Thraciæ.

93. *Oſſei Thracis manus*, id eſt, mortis, à Turcis qui Thraciam incolunt, inferendæ.

95. *Andabatarum more*, qui clauſis oculis pugnabant.

Siſyphus, fingitur, ob latrocinia, ſaxum ingens perpetuò volvere, quod ſemper relabatur.

Trebia fluvius Italiæ, ad quem Hannibal Romanos vicit.

Cynthia. Luna.

101. *Daphnis*, Laurus, in quam converſa fingitur Daphne Penei fluvij filia.

102. *Cyane*, herba, hic: aliàs fluvium ſignificat Siciliæ, in quem Cyane Nympha mutata fingitur.

Lycaſte, Nympha.

106. *Sacrum Eleuſinum*, Cereris honori factum, in Eleuſi civitate Atticæ, ab Eleuſino rege, qui Cererem hoſpitio excepit.

107. *Pyrrhus*, & Julius, hic ſumuntur, pro quolibet viro, qui ſecreta ſua uxori credit.

108. *Scythici* enſes, id eſt, barbarorum.

114. *Rhamnuſia*. Dea indignationis.

116. *Camilla*. Regina Volſcorum.

Penteſilea, Amazonum Regina.

126. Cad-

Digitized by Google

126. *Cadmi dentes*, quos Cadmus ſerpenti à ſe occiſo exemptos cùm ſeviſset, finguntur inde armati milites enati.

Eteocles & Polynices fratres, OEdipi filii, mutuis ſe vulneribus confecere.

129. *Acilius*, Romanus miles.

Dyrrachium, Urbs Macedoniæ.

138. *More Laconico*. Breviter, & paucis verbis, ut Lacedæmonij ſolebant.

139. *Sequana* fluvius Galliæ.

Neuſtria Normannia.

Alnetum fluvius.

Liger, Galliæ fluvius.

140. *Allia*, fluvius Italiæ, ad quem cæſi à Gallis Romani.

Aſtræa, Dea Juſtitiæ.

141. *Mutius Scævola*, qui in Porſenæ regis caſtris manum exuſsit.

L. Junius Brutus, expulſis regibus, Romam in libertatem vindicavit

Decij tres, Pater, filius & nepos, pro patria ſe devovere, ac in medios hoſtes ruêre.

144. *Daci* Transſilvani Valachiæ & Moldaviæ populi.

Cimbri Dani.

145. *Erebus*, Fluvius fabuloſus Inferni, ſumitur pro ipſo Inferno.

150. S. P. M. B. D. D. Nihil certi ſignificant, ſed auctor poſuit arbitrio ſuo, ceu ſecretum continentes.

154. *Triton* Deus Marinus.

Nereus Deus maris.

Tiphys Argonauticæ claſſis gubernator.

Palinurus. Navis Æneæ Gubernator.

157. *Odryſia Calva*, Turcica. Quia Odryſia Thraciæ ſeu Turciæ pars eſt.

148. *Eburones*, Leodienſes.

166. *Getula* bellua, Leo, à Getulia regione Africæ.

167. *Naſamones* Libyæ populi.

Pindus, Mons Theſsaliæ Apollini & Muſis ſacer.

168. *Thetys*, pro mari.

Malea. Promontorium Laconicæ; navigantibus periculoſum.

Deus Dircæus. Sive Thebanus: alludit ad dentes ſerpentis à Cadmo ſatos. Vide n. 126.

169. *Orithya*, filia Erichthei Athenarum regis, à Borea rapta, & in ventum converſa fingitur.

Marmaricus Leo, ex Marmaricâ, regione Africæ.

160. *Dryades*, Nymphæ ſilveſtres.

171. *Caſpij*

Digitized by Google

171. *Caſpij*, populi ad Caſpium mare.

Garamantes, populi extremi Indiæ.

Numidæ, populi Africæ.

154. *Chares*, nomen militis.

175. *Fabricius*, Romanus civis frugaliſſimus, Pyrrhum regẽ & Samnites vicit, nullis muneribus ſe paſſus corrumpi.

Maſiniſſa. Numidarum Rex.

177. *Marcus Licinius Craſſus*, Romanorum ditiſſimus.

Milo, Crotoniates, taurum ictu nudæ dextræ occidit.

180. *Lucina.* Idem quod Diana: credebatur partui præeſse.

Dodona. Civitas in Chaonia, juxta quam fuit nemus è ſolis quercubus Jovi ſacrum.

Scipiadæ. Scipiones, Romani, bellis clari.

Serranus vel *Seranus* cognomen eſt Atilii, Senatoris Romani, à ſerendo ſic dicti, quòd adversùs Samnites creatus Dictator, in agro frumentum ſerens, ſit repertus.

Gens Claudia, Romæ celebris familia, unde multi præclari viri prodiêre.

180. *Cocles*, nomen Horatij cujusdam Romani, qui hoſtibus ſolus in Ponte reſtitit.

181. *Clælia*, Nobilis virgo Romana, quæ cum alijs quibusdam virginibus Porſenæ regi obſes data, deceptis cuſtodibus incolumis per Tyberim tranavit.

Beliſarius Juſtiniani Imperatoris Dux bellicus.

183. *Arctos*, Urſa, ſeu Septentrio.

Lemnius, Vulcanus à Lemno inſula, ubi ſingebatur habere ſuam officinam.

184. *Galatea*, Nympha marina.

185. *Actor Auruncus*, Comes Herculis, dictus ab Aurunca Latij civitate.

Æacides, Achilles.

189. *Python.* Serpens ab Apolline occiſus.

Geloni Populi interioris Scythiæ.

190. *Caſtalis*, idem, quod aqua Caſtalia, quæ dicebatur Poëtas facere.

192. *Phrygij.* Populi Aſiæ minoris, effeminati.

198. *Epaminondas*, Dux Thebanus fortiſſimus.

199. *Pellæus*, Alexander Magnus, dictus à Pella Macedoniæ Urbe.

201. *Getulicus* Imperator ſceleſtus intelligitur.

Thracia, hodie Turcia.

202. *Odryſium* ſtabulum. Intelligit

telligit Turcas, brutam ſectam tenentes.

207. *Acca Laurentia*, quæ Romulum & Remum lactavit & educavit.

Julus, aliter Aſcanius, Æneæ filius.

Marius. Conſul Romanus.

209. *Cybele*. Deorum mater, dicta etiam Berecynthia.

Samnites, Populi Italiæ.

Celtæ Populi Galliæ

Faliſci. Populi Hetruriæ.

Veij. Urbs Hetruriæ.

Sauromatæ, ſeu *Sarmatæ*, populi ſeptentrionales ad Tanaim fluvium.

Lucani, Populi Italiæ.

Senones, Populi Galliæ.

209. *Cannæ*, vicus in Apulia, Romanorum clade clarus.

214. *Tyrius*, purpureus. In Tyro enim inſula maximè parabatur.

215. *Pelides*, Achilles à Peleo patre.

217. *Gethæ*. Populi in Scythia Europæa.

221. *Hermus*. Fluvius auri ferax, in minori Aſia.

222. *Memnonia domus*. Sumitur pro Oriente, à Memnone Auroræ filio.

224. *In terra Galaatitide*, fuit Galaad ditio & civitas olim Amorrhæorum.

232. *Themiſtocles*, Dux Athenienſis.

236. *Galeſus*, fluvius juxta Tarentum, urbem Italiæ.

Tibiſcus, fluvius Daciæ.

Deina. Fluvius Hungariæ.

Vna. Fluvius Hungariæ.

Dravus. Fluvius Hungariæ.

236. *Mygdonij Currus*. à Mygdonia, regione Macedoniæ.

255. *Luſcus Afer*, Hannibal, qui fuit luſcus.

260. *Alcibiades*, Dux Athenienſis.

262. *Phlegon*, Equus ſolis.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google